











Philol. 65

Ház-Rész Múze  
Tudományos Kön  
Székelyudvarhely



3755

J. 27. III.

CC Oblatione c. p. Procura tory c. M.  
hachy Telehi

tara

Riga

Haáz Rezső Múzeum  
Tudományos Könyvtár  
Székelyudvarhely



*Liber Bibl. R. Ung. Reg. in Conspectu univ.  
sub Reg. Imp. Arch. Cas. Joh. Franc. 1803*

CASULÆ  
S. STEPHANI  
REGIS HUNGARIÆ

VERA IMAGO ET EXPOSITIO,

QUAS

PUBLICA LUCE DONAVIT  
FRANCISCUS L. B. BALASSA,

DE

BALASSA GYARMATH  
IN COLLEGIO REGIO THERESIANO S. J.  
HISTORIÆ, PHYSICÆ, ETHICÆ, ET MATHÉSEOS,  
STUDIOSUS,

EX IISDEM SCIENTIIS  
ANNO M. DCC. LIV. MENSE OCTOBRI

PUBLICUM TENTAMEN  
SUBITURUS.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

---

Typis JOANNIS THOMÆ TRATTNER, Cæs. Reg. Aulæ  
Bibliopolæ, & Universitatis Typographi.





CASULA  
S. STEPHANI  
REGIS HUNGARIE

VERA IMAGO ET EXPOSITIO

1271

FRANCISCVS R. BALASSA

BALASSA GYARMATH

EX LIBRIS REGIO HUNGARIE

EX LIBRIS REGIO HUNGARIE

EX LIBRIS REGIO HUNGARIE

EX LIBRIS REGIO HUNGARIE

EX LIBRIS REGIO HUNGARIE

EX LIBRIS REGIO HUNGARIE

EX LIBRIS REGIO HUNGARIE

EX LIBRIS REGIO HUNGARIE

EX LIBRIS REGIO HUNGARIE

EX LIBRIS REGIO HUNGARIE

EX LIBRIS REGIO HUNGARIE



*AUGUSTISSIMAE,*  
*INVICTISSIMAE, AC GLORIOSISSIMAE*  
ROMANORUM  
IMPERATRICI,  
**MARIAE THERESIAE,**  
HUNGARIAE, ET BOHEMIAE  
REGINAE,  
ARCHI-DUCI AUSTRIAE.  
DUCI  
BURGUNDIAE, BRABANTIAE, MEDIOLANI,  
STYRIAE, CARINTHIAE, CARNIOLIAE,  
LUXENBURGI,  
WÜRTEMBERGAE, UTRIUSQUE SILESIAE,  
**PRINCIPI SUEVIAE,**  
MARCHIONI  
S. R. I. BURGOVIAE, MORAVIAE, UTRIUSQUE  
LUSATIAE,  
COMITI HABSPURGI,  
FLANDRIAЕ, TYROLIS &c.  
**DOMINAE DOMINAE**  
*C L E M E N T I S S I M A E.*



CLEMENS

DOMINAE

COMITI HABSPURGI,

LUSATIAE,

S. R. I. BURGONIAE, MORAVIAE, UTRISQUE

MARCHIONI

PRINCIPIS SUEVIAE,

WESTPHALIAE, UTRISQUE SILVAS,

LUCKENBURGI,

BURGUNDIAE, BRABANTIAE, MEDIOLANI,

STIRIAE, CARINTHIAE, CARINOLIAE,

DUCE

ARCHIDUCI AUSTRIAE.

REGINAE,

HUNGARIAE, ET BOHEMIAE

MARIAE THERESIAE,

IMPERATRICI,

ROMANORUM

IMPERII, NOBILIS

NEUSTADT



AUGUSTISSIMA,  
INVICTISSIMA, ac GLORIOSISSIMA  
IMPERATRIX  
REGINA,  
DOMINA DOMINA  
CLEMENTISSIMA.



Ivi Stephani primi Hungarorum Regis Apostolici sacrum ac venerabile Monumentum, cui demum alteri consecrarem Hunga-



rus ipse, nisi TIBI, AUGUSTA  
HUNGARIÆ REGINA, DOMI-  
NA CLEMENTISSIMA? Et ve-  
ro Libellum istum Sacræ Regiæque  
MAJESTATI TUÆ, non tam de-  
dico, atque de genibus offero, quam  
TUUM TIBI munus Augusta, re-  
stituo. Ex ipso etenim, qui Vin-  
dobonam ornat, TUO sacrarum  
rerum Thesauro Casula illa, omni  
auro pretiosior, atque olim pientissi-  
mi Regis jussu confecta, desumpta  
est,



est, cujus ectypon ac descriptio, ut  
Augusti etiam Nominis TUI splen-  
dore compareret nitidior, insigni pla-  
ne gratia indulgisti.

Nemo jam temerarium me, pa-  
rumque meæ exilitatis memorem  
pronunciet, qui rudem paucarum  
pagellarum opellam Tantæ DOMI-  
NÆ inscribere sim ausus. Quid-  
quid enim ad Divi Regis Stephani  
memoriam & honorem facit, quid-  
quid-



quid avitam Hungarorum Catholicam Religionem illustrat , atque commendat , quantumcunque exiguum fit mole & apparatu, MAJESTATIS TUÆ Sapientiæ & Religioni magnum videri solet.

Idem S. Religionis Catholicæ studium, & quæ inde dimanant submissionis, affectus, & reverentiæ plena mea meorumque erga TE REGINA ac DOMINA CLEMENTISSIMA, fides & observantia, nos  
in-



induxit perpulitque , ut ad avitæ  
Religionis decus ac firmamentum  
sacri hujus vestimenti memoriam in  
Hungarorum nostrorum animis , sub  
Maximæ Hungarorum Reginae No-  
mine , gratiaque instaurare conare-  
mur.

Nam si de familia mea comme-  
morare hic aliquid, non ad ejusdem,  
sed ad DEI primum, deinde Regum  
nostrorum , atque inprimis MAJE-

)( )(

STA-



STATIS TUÆ gloriam, licet; grata lætaque Balassiorum stirps agnoscit ac profitetur, quidquid prosperitatis ac splendoris Divino, Regionique favore consecuta est, ea veluti mensura, ac ratione obtinuisse, qua ab novatorum communione (in quam per priorum temporum calamitatem abrepta fuerat) aversa, penitusque avulsa, ad veteris Ecclesiæ partes sese arctius adjunxit.



Sub sacro itaque isthoc religionis  
avitæ monumento , sub S. Stephani  
Regis veneranda Casula, tanquam  
sub suavissimæ tutelæ Pallio  
ego, meique omnes collecti securi-  
que , atque ad MAJESTATIS  
TUÆ gratiarum Thronum prostra-  
ti, illud Optimum DEUM sinceris-  
simis precibus ac suspiriis oramus,  
ut MAJESTATEM TUAM, A-  
postolicæ Religionis, Regnique co-  
lumen, cum Augusto Coniuge, Ro-  
ma-




manorum Imperatore, cumque Serenissima summæ spei Sobole, inter dulcissima veræ prosperitatis solatia, quam diutissime conservet

CAES. REG. MAJEST.  
VESTRÆ.


*Indignus Cliens*

FRANCISCUS L. B. BALASSA,  
DE BALASSA GYARMAT.










Pedes tres Viennenses.








Házi Rezső Múzeum  
Tudományos Könyvtár  
Szekelyudvarhely





E X P L I C A T I O  
I C O N I S M I C A S U L A E ,  
Q U A M

S. S T E P H A N U S  
R E X . H U N G A R I Æ  
F A C I E N D A M C U R A V I T .

**E**N tibi, amice Lector! Iconismum ac descriptionem sacrae vestis, quæ in rerum sacrarum Thesauro Augustæ Gentis Austriacæ Vindobonæ asservatur. Imago isthæc ut sacro vestitui quam simillima prodiret, sedulo curavit *R. P. Erasmus Frøelich S. J.* in Theresiano Collegio Historiæ Professor. Vestitus hic perelegans, Sacerdoti ad aram facienti sine dubio destinatus, *Casula* erat; sed muta-



ta paullisper antiqua forma, *Pallium* nostras, aut fere *Pluviale* (sacrum aliud vestimenti genus) hodie refert.

Vestimento huic annexum est Collare *K.* (*vide Iconismum*) ad tergum reflexum, Laciniaque modica *Z.* qua ad pectus, ope fibulae, quæ quidem non adest, adstringi vestis, committi que posset; itaque vestis *Pallium* tale, seu *Paludamentum* hodie potius refert, quali Reges atque Imperatores solenni ritu amiciri solent. Vestitus iste olim, ut *Casula*, a *S. Stephano* primo Hungarorum Rege, Urbis Albæ Regalis Ecclesiæ (quam DEO in honorem Beatissimæ DEI paræ Virginis idem Sanctus Rex erexerat) oblata est anno æræ Christianæ 1031.

Materia vestis tenuissima plane sindone, e serico contexta, constat, eaque impressis undequaque flavo colore figuris, multisque scripturis exornatur, quæ sane mirum est, quam integram hodieque speciem tueantur: sindonis campus reliquus cæruleo colore, jam præ vetustate in viridem vergente, variis flosculis ductibusque nitebat, multa que harum decorationum vestigia comparent.

In



In longum V. V- a collo ad infimum limbum, vestis defluit, mensura pedum Vindobonensium (qualibus hic utar) quatuor cum quadrante: in latum infimæ oræ perimetros propemodum semicirculum conficiens, explicatur ad pedes XIV. ad Collare K. convergit vestitus amplitudo, itaque contrahitur, ut non nisi pollicibus decem cum dimidio illic pateat.

Collare K. pedem unum & pollices decem in longum, in latum pollices octo æquat, ibidem certe, ubi curvo sinuamine propemodum circulari, latissime excurrit: pictum est Collare fornicibus septem, intra quos varii flores, & animalia varia, punctulaque distributione non ineleganti expressa sunt, sed in imagine nostra, ob parvitatem ea minute depingi omnia non potuere.

In quatuor ordines, ac veluti contignationes, vestimenti figuræ omnes, illic ductæ, diremptæ sunt, quas deducta, a medio collo ad infimum fascia V. V. colore flavo intersecat, longa pedes quatuor cum quadrante (uti antea monui) lata pollices tres cum dimidio; ea tamen



duabus ovatae figuræ Iconismis majoribus intermissa est.

Supremus ordo figurarum *A. A.* divisus est ab inferiore *B. B.* per limbum *E. E.* qui ad angulum acutum cum fascia *V. V.* convergens, crucis quandam speciem, sacris ejusmodi vestibus solennem refert. Primus hic ordo *A. V. A.* tres fere ovatae figuræ inclusas Icones complectitur, quarum media major Christum Salvatorem sanctissimum, talari veste indutum, repræsentat stantem super Leonis ac Draconis capitibus.

Caput Christi ornatum est nimbo crucigero, vultus decorus, barba bifida: tenet Christus dextra crucis hastam, inferne pilo recurvo, vel nodulo triplici munitam; sinistra vero quid attollat non satis dignovi, sive id liber sit cum sigillo, aut cum sacra hostia sive aliud. Epigraphe hujus figuræ per oram ovatam ita habet:

HOSTIBVS PN CPISTVS PROSTRATIS  
EMICAT ALTUS.

Quæ ita lego: *Hostibus en Christus prostratis  
emicat altus.* Post



Post tō ALT. suppleo V S. non verò (uti olim legit Doctiss. & illustriss. de Reva) ALTE; nam versus hic hexametrus, & quidem rythmicus videtur esse, cum inscriptiones reliquæ, metro inclusæ, similibus conceptæ rythmis occurrant, ut infra patebit.

Altera ad dextram Imago Beatissimam DEIPARAM exhibet, elatis modeste manibus stantem, cujus caput nimbo ornatum, cum hac per oram inscriptione non integra:

EMICAT IN CELO SANCTÆ GEN-  
TRICIS IMAGO. Quod sic lego

*Emicat in Cælo sanctæ Genitricis Imago.*

Sancti Joannis Evangelistæ ad sinistram tertia ovatæ figuræ inclusa Imago esse videtur (quia poculi aliquid sub pedibus cernitur) stantis, nimbo crucigero caput ornati, dextram docentis ritu attollentis, sinistra sustinentis librum, cum Epigraphe per ovatum annulum distributa.

.Α. ΣΥΝΟ ΡΕΓΙ ΦΑΥΛΑΤΥ

CONCIO CELI.

No.



Nota: hic adjiciendam esse literam *D. & T.* extritas, ut legatur :

*Dat summo Regi famulatum Concio Cæli;*  
Ita legit ipse *Petrus de Reva* Comes Turocensis in libro de *S. Coronæ Regni Hungariæ ortu &c.*

Ambobus hisce lateralibus iconismis duo utrinque adstant Angeli, atque ad horum cujuslibet pedes minor Angeli figura visitur, genibus nixi, manibus precantis ritu sublati: Angelorum porro singulorum capita nimbus ambit: Pone duos imaginis ovatæ Angelos utrinque bini circelli in iisque Evangelistarum symbola, illa animalia picta conspiciuntur, quorum apud Ezechielem Prophetam fit mentio & in Apocalypsi Sancti Joannis.

Limbus five Zona *E. E.* primum, quem exposuimus, ordinem a sequenti separans, latus est fesqui tertium pollicem: is circulorum seriem continet, quibus protome Angeli, nimbo caput cingente, clauditur; interposita circulis spatia, fesqui pollicem lata, florum ductibus replentur, haud ineleganter dispositis.

Alter



Alter figurarum ordo *BB.* fedecim veteris Testamenti Prophetas longo ordine stantes, exhibet, nimbo omnes decoros, dextra fere elevata, sinistra volumen libri tenentes; intra quatuor utraque ex parte Prophetas medius Christus stat, caput nimbo, cruce distincto, ornatus dextra elevata, sinistra librum tenens; singulis Prophetis adscriptum est nomen, sed literis ita dispositis, uti mox repræsentabitur: adjecto *Pr.* seu *Propheta*, Christi vero figuræ ad dextrum ordinem adscriptum est: *Principium & Finis*; Ad sinistrum ordinem simili Christi figuræ eadem sententia græcis illis Elementis *A. Ω.* *Alpha & Omega* adscripta est, quod etiam *Principium & Finem* significat.

Primi ad dextrum ordinem Prophetæ nomen desideratur, *Sophonias* id fuisse videtur, reliquorum ita consignata sunt nomina, figuris adstituta:

*Ad*



*Ad Latus dextrum.**Primus, ut  
supra dixi,  
deest.*

H	N	H
A	A	I
B	T	E
A	A	Z
C	W	E
V	P.	C
C	<i>Natam</i>	H
P.	<i>Pr.</i>	I
		E
		L
		P.

*Habacuc**Pr.**Hiezechiel**Pr.*

P	E	D	A	Z	M
R	T	A	G	A	A
I	F	N	G	C	L
N	I	I	E	H	A
C	N	N	V	A	C
I	I	E	S	R	H
P	S	L	P.	I	I
I		P.	<i>Aggeus</i>	A	A
V				S	S
W	<i>Prinipium &amp; Finis</i>	<i>Daniel Pr.</i>		P.	<i>Pr.</i>

*Zacharias  
Pr.**Malachias  
Pr.*



*Ad Latus sinistrum.*

Υ	I	A	H	A.	W.		
I	O	B	I	E	H	I	A
C	N	D	E	S	O	O	M
H	A	I	R	A	S	H	O
E	S	A	E	I	E	E	S
A	ϥ	S	Υ	A	A	L	ϥ.
S	<i>Jonas</i>	ϥ	I	S	S	ϥ	<i>Amos</i>
ϥ.	<i>Pr.</i>	<i>Abdias</i>	A	ϥ.	ϥ	<i>Johel</i>	<i>Pr.</i>
<i>Micheas</i>			S	<i>Esaïas</i>	<i>Hoseas</i>		
<i>Pr.</i>			ϥ.	<i>Pr.</i>	<i>Pr.</i>		
			<i>Hieremias</i>				
			<i>Pr.</i>				

Alter hic figurarum ordo a tertio dirimitur  
 Zona *D. D.* pollicem lata, hac Epigraphe  
 EGINA (Tò R. in fine positum, huc referen-  
 dum, ut sit: *Regina*) CĀSVLĀ HEC OPE-  
 RATA ~ ET DĀA ECLLESIAE SAN-  
 CTÆ MARIAE SITÆ IN CIVITATE  
 ALBĀ: ANNO INCARNACIONIS XPI:  
 M: XXXI: INDICCIÓNE XIII. A STE-  
 PHANO REGE ET GISLA R. . . .

Literæ istæ viridi colore expressæ sunt, quas ita  
 lego: B Ca-



*Casula hæc operata est & data Ecclesiæ Sanctæ Mariæ sitæ in Civitate Alba.. Anno Incarnationis Christi millesimo tricesimo primo Indictione quarta decima, a Stephano Rege, & Gisla Regina.*

Tertius ordo C. C. in medio figuræ, fere ovatæ, in cuspidem coeuntis, iconismum sistit, quo Christus sedens refertur, nimbo Caput cinctus, dextra subblata, sinistra librum genibus impositum attinens : sella quoque ac pavimenti portio quædam dispicitur. Oræ inscriptio metrica, charactere viridi, in fundo flavo, est sequens.

SESSIO REGNANTE<sup>se</sup> NOTAS ET XP<sup>o</sup>  
DO<sup>o</sup>INANTE<sup>o</sup>.

*Sessio Regnantem notas (forte: notat) & Christum Dominantem.* In hoc ordine ad utrumque Christi sedentis latus sex, universe duodecim sedent Apostoli, intra singula ædificia singuli, ornata turribus, ac muris variæ structuræ. Reliquis inter Turrium fastigia spatils variæ, militum potissimum, procerum item figuræ, stantes aliæ aut currentes, aliæ genu flectentes ac  
sup-



supplicum ritu, visuntur: armatæ pleræque scutis, & ensibus *rectis fere*, non curvatis (uti & gladius S. Stephani non curvatus visitur, qui hodiedum superstes in Coronatione Regum adhiberi solet teste *Petro de Reva pag. 83.*) militum alii Cymbam, in qua pisces, alii Zonam attollunt. Apostolorum porro sedentium, & caput nimbo ornatorum, sequens est ordo, adscriptaque nomina, eo literarum situ, quo nomina Prophetarum antea exhibuimus.

*Ad Latus dextrum.*

<i>sc</i>	<i>APLS</i>	<i>APLS</i>	<i>APLS</i>	<i>AP</i>	<i>AP</i>	<i>APLS</i>
B	P	I	T	I	P	
E	A	O	H	A	H	
T	V	H	O	C	I	
R	L	A	Y	O	L	
V	V	N	A	B	I	
S	S	N	S	V	P	
<i>Petrus Apls</i>	<i>Paulus Apls</i>	<i>E</i>	<i>Thomas Apls</i>	<i>Jacobus Apls</i>	<i>V</i>	
		<i>S</i>			<i>S</i>	
		<i>Iohannes Apls</i>			<i>Philippus Apls</i>	



*Ad Latus sinistrum.*

B	APLS	Y	APLS	I	S	AP	T	APLS	A
A		A		V	I		A		N
R		T		D	M		D		D
T		H		A	O		E		R
H		E		S	N		V		E
O		V					S		A
L		S							S
O				<i>Judas Apl</i>	<i>Simon Apl</i>		<i>Tadens Apl</i>		
M		<i>Mathews Apl</i>							<i>Andreas Apl</i>
E									
V									
S									
	<i>Bartholomeus Apl.</i>								

Capite tecto, præter nimbium, omnes Apostoli exhibentur; sed tegumentum capitis S. Petri striatum est, & veluti radiatum, quo ornatu carent tegumenta reliquorum Apostolorum. Tertium hunc figurarum ordinem a quarto eoque infimo disternat zona P. P. fesqui pollicem lata, quæ currentium leporum, canumque figuris, præter varios linearum ductus expletur.



Quartum ordinem SS. bifariam fecat verticalis illius zonæ VV. (de qua sub initium diximus) portio infima, in cuius medio, annulo circulari inclusa exhibetur protome adolescentis aut juvenis capite nudo. Hac effigie, quippe inter imaginem S. Stephani, & B. Gislæ media, Beatum Emericum expressum esse arbitror, sanctorum Parentum sanctum Filium. In infima hac figurarum serie utrimque annulis Cyclis cinctæ comparent figuræ sanctorum Martyrum; ita tamen ut media duo loca, verticali fasciæ proxima, Stephanus & Gisla occupent. Singulæ figuræ pileo tricuspide tribus liliis decorato, teguntur, suntque genuum tenus expressæ. Quid quæque figura *dextra* & *sinistra* gerat, literis D. & S. indicabo, simul ordinem, ac nomina sanctorum Martyrum exhibebo, quorum icones isthic visuntur.



*Ad Latus dextrum.*

Primi no- men abscif- sum est :	C D globum. O S hastam.	P D. haftā A S. globū	G D. globū E cū cruce S. haftā.	V D. haftā I S. globū. cū cruce.	G D. tem- pli simu- lacrum S S. ad pe- ctus posi- ta,
Figura D.	S	T	O	N	S
hastam S.	M	T	R	C	L
globum	A	A	G	E	A
cum cruce.	S	L	I	N	R
	<i>Cosmas</i>	I	V	T	E
		O	S	I	G
		N	<i>Georgius</i>	V	I
		<i>Pamtalien</i>		S	N
				<i>Vincentius</i>	A
					<i>Gisla Regina</i>

*Ad Latus sinistrum.*

S E P H A N V S R E X	D. haftam
	cruci for-
	mem.
	S. globum
	cum fascia transversa, & cruce.
	<i>Stephanns Rex.</i>



De Lancea, quam in iconismo gestat S. Stephanus Rex, repeti hic possunt verba *Ademari monachi Egolismensis Henrici Canisii Tom. III. pag. 67. edit. in fol. 1725.* ubi ita de Patre S. Stephani, Geisa Duce, atque de ipso S. Rege: „ Sanctus autem Brunus convertit ad fidem Ungriam Provinciam, & aliam, quæ vocatur Russia; Regem Ungriæ baptizavit, qui vocatur Geitz & mutato nomine in baptismo Stephanum vocavit, quem Otto Imperator in natali proto-Martyris Stephani a baptismo excepit, & Regnum ei liberrime habere permisit, dans ei licentiam *ferre Lanceam sanctam* ubique, sicut ipsi Imperatori mos est, & reliquias ex clavis Domini, & de *Lancea sancti Mauricii ei concessit in propria Lancea*, Rex quoque supra dictus filium suum baptizare iussit, & sanctus Bruno imposuit ipsi nomen sicut sibi, Stephanum. Postea vero ipsi filio ejus Stephano Otto Imperator sororem Henrici postea Imperatoris in conjugio dedit. (*Gislam.*)

Ex verbis istis *Ademari Monachi Egolismensis* (cujus auctoritas propter antiquitatem

ma-





magna) facile colligitur, Geizam Patrem S. Stephani Catholicum fuisse; quod plures Patrii Scriptores variis auctoritatibus probant; male ergo consultum iis, qui Geizam paganum fuisse asseverant; an autem probus & constans Christianus fuerit, decisum hic nihil volo.

Transeamus ad inscriptionem aliorum Sanctorum, *ad Latus sinistrum.*

S	S. hastam	C	D. Lanceā	S	D. globū.	C	D. globū	L	D. Globum
T	Cruciformem	L	S. globū parvum.	I	S. Lanceā	O	cū Cruce S. demissa	A	cum Cruce
E	D. forte	E		X		R		V	ad pectus
P	Saxa.	M		T		N		R	Scutum in
H		E		V		E		E	quo Icon
A		N		S		L		N	Christi nimbo cincti,
N		S				I		T	
V		<i>Clemens</i>		<i>Sixtus.</i>		V		I	
S						S		V	
						<i>Cornelius</i>		S	
<i>Stephannus</i>								<i>Laurentius</i>	

Interjecta circularibus hisce Iconismis spatia diverse curvatis ductibus, & appositis cuivis iconismo duabus majoris speciei volucris exornantur. Quod hac in Cafula carmina pia, &



si minus elegantia, rythmis illigata reperiantur, Fundatorumque ecclesiæ nomina inscripta, cum eorundem icône, legantur, ipse illorum temporum mos ita ferebat; quod persimili ejusdem ætatis exemplo illustrare libet. *R. P. Sigismundus Pusch S. J. in Chronologia sacra Ducatus Styriæ Parte I. pag. 218.* meminit Casulæ pervetustæ, quæ servatur in Thesauro sacro Parthenonis Gössensis Ord. S. Benedicti, fundati circa annum *MIV.* haud procul Leobio, superioris Styriæ urbecula. Fundatores fuere Adula & Filius ejus Aribio, postea Moguntinus Archi - Episcopus: Abbatissa I. Kunegundis erat, Aribonis Soror. In memorata Gössensis Thesauri Casula præter sacras imagines, acuphyrgia pictas, cernitur illa ipsa Kunegundis, prima Antistita, inter geminas Religiosas Virgines Wilburgem & Gertrudem, adjectis in limbo hisce versiculis:

*Cæli Patrona Kunegundis suscipe dona.*

*Casula cum Kappa placeat tibi cælica Mappa.*



*De Nomine, Ufu, Forma, & Materia  
Veterum Cafularum.*

**Q**Uoniám Cafula noſtra *Pallii* potius, aut *Pluvialis*, ſacræ veſtis, quam hodiernæ *Cafulæ*, figuram præſeſert, atque ſacram hanc veſtem cum pallio S. Stephani Regis (quo Hungariæ Reges inter Coronationis ritus utuntur) nonnulli Scriptores confudere; idcirco de veteris Cafulæ forma quædam iſthuc congerenda duximus, quæ ad Cafulam noſtram, ejusque mutatam aliquantum figuram, deinde applicabimus. *Cafulæ* ſeu *Planetæ* vocabulum ad indicandum amplum, ac ſolenne veſtimenti genus, quinto, ſextoque ſaltem poſt Chriſtum ſæculo in uſu fuiſſe, ex *Caſſiano* diſcimus *de habitu Monachi lib. I. cap. I. pag. 13. edit. Atrebat. 1628.* ubi Planeticarum atque Birrorum pretia ſimul, ambitionemque a monachis declinandam monet; & *S. Iſidorus in Regula monachorum Cap. 13. Planeta* monachos non uti teſtatur. *Procopius* quoque *lib. 2. Vandal. Cafulæ* meminit. Eſſe vero rem eandem Cafulam & Planetam memoratus *Iſidorus Hiſpalenſis lib. 19. Origin. Cap. 24. pag. 265. Edit. Pariſ. 1601.* ita docuit („ Ca-  
„ fu-



„fula est vestis cucullata, dicta per diminutio-  
 „nem a Casa, quod totum hominem tegat,  
 „quasi minor Casa, unde & Cuculla, quasi mi-  
 „nor est Cella. Sic & Græci Planetas dictas  
 „volunt, quia oris errantibus evagantur.)  
 Nam græcum *Planetes*, *Erronem* latine reddi-  
 mus.

Originem vocabuli *Casula*, ejusque formam  
*Hrabanus Maurus lib. I. de Instit. Clericorum*  
*Cap. 21. pag. 7. Tom. VI. operum, Edit. Colon.*  
 exposuit ita, dum agit de vestibus sacerdotali-  
 bus: „Septimum sacerdotale indumentum est,  
 „quod Casulam vocant; dicta est autem per di-  
 „minutionem a Casa, eo quod totum hominem  
 „tegit.) Casulæ cum cappa, seu cuculla se-  
 ptimo jam sæculo, ut sacri item vestimenti, me-  
 minit *Gregorius Turonensis in vitis Patrum,*  
*Cap. VIII. de sancto Nicetio Lugdunens. Episc.*  
*§. V. pag. 1188. Edit. Paris. cura Ruinarti.* ita  
 narrat de Nicetio: „Et quia novimus Priscum  
 „Episcopum huic Sancto semper fuisse adver-  
 „sum, Diacono cuidam hujus Casulam tribuit.  
 „Erat autem valida, eo quod & ipse vir DEI  
 „robusto fuisset corpore: Cappa autem hu-



„ jus indumenti ita dilatata erat, atque confu-  
 „ ta, ut solent in illis candidis fieri, quæ per  
 „ Paschalia festa Sacerdotum humeris imponun-  
 „ tur; ibatque Diaconus cum hoc vestimento  
 „ discurrens, ac parvi pendens, de cujus ufi-  
 „ bus remansisset, hoc habens in lectulo, hoc  
 „ utens in foro &c.

Porro FLACCO ALCUINO seu ALBINO teste,  
*de officiis: Casula super omnia vestimenta poni-*  
*tur.* Similia habet IVO CARNOTENSIS, *ser-*  
*mone III. de Rebus Ecclesiasticis.* Porro Casu-  
 lam vestem *cucullatam* vocat *Isidorus, & Gre-*  
*gorius Turon.* (uti retulimus) ipsamque interdum  
*Casulam*, cucullam dici, *Theodemarus Abbas*, sæ-  
 culi IX. scriptor testatur. Cum enim totum homi-  
 nem tegat; caput quoque ea contegi necesse  
 est. Itaque proprie videtur *Cuculla*, seu *Cap-*  
*pa* pars esse *Casulae*, aut ei adjecta lacinia, qua  
 caput tegebatur. Si quis majoris notitiæ de *Ca-*  
*sula* cupidus fuerit, consulere potest *glossarium*  
*medicæ & infimæ latinitatis Caroli du Fresne Do-*  
*mini du Cange, pag. 969. & sequenti.* Nobis  
 pauca ad rem nostram propius facientia excer-  
 pere placuit sequentia: „ Cum vero Scripto-

„ rum



„ rum plerique *Casulam* dictam a *Casa* scribunt,  
 „ quod totum hominem, ut *Casa*, tegat, respe-  
 „ xerunt ad veterem *Casularum* formam, quæ  
 „ totum revera Sacerdotem a collo ad pedes  
 „ ambibat, atque adeo brachia ipsa & manus  
 „ tegebat; ita ut si iis ad sacra facienda, aut  
 „ ad alios usus vellent uti, necessum haberent  
 „ *Casulam* ad utrumque latus erigere, aut fi-  
 „ bula cohibere, quod observare est ex loco  
 „ Laudato *Ruperti. Petrus Comest. in Hist.*  
 „ *Scholast. Exod. cap. 63. de vestibus Pontifi-*  
 „ *cum veteris legis scribens: modice stringeba-*  
 „ *tur, & usque ad tibias dependebat ad decorem,*  
 „ *dum Sacerdos nihil operabatur, cum autem*  
 „ *sacrificabat, ne impediret, pendentes summita-*  
 „ *tes super lævum humerum reflectebat; unde*  
 „ *& forte Diaconus quandoque Casulam plica-*  
 „ *tam eidem humero superponit. Quo spectant*  
 „ *ista ex Bernardo Monacho in consuetud.*  
 „ *Cluniac. MSS. cap. 74. de Sacerdote sacra*  
 „ *facturo: Sicque Casulam induit; quam etiam*  
 „ *socius studiose inter brachia plicat, & ami-*  
 „ *ctum desuper aptat. Atque inde Casularum*  
 „ *hodiernarum nata est forma, quod ultro qui-*  
 „ *vis fatebitur, qui S. Gregorii Magni PP. ex*



„ musivo expressam, quæ habetur post ejus vi-  
 „ tam a Joanne Diacono exaratam, & Episco-  
 „ pi alterius in Ecclesiæ S. Germani Pratenfis  
 „ porticu, & similes quæ visuntur Romæ in ve-  
 „ teribus Ecclesiis, attentius expenderit & con-  
 „ sideraverit.)

Liceat jam isthæc de Casulæ forma, deque Cuculla seu Cucullo, dicta ad nostram Casulam applicare.

Itaque in Casula hac nostra collare illud K. & ipsum vetusti operis, ad Cucullam pertinere arbitror, nam ejusdem duo extrema si sub mentum revocentur, veteris in sacra veste Cucullæ speciem circa caput lacinia illa formabit. Vidimus porro ex Laudato *du Fresne*, *Casulam* integrum undiquaque vestimenti genus fuisse, ita, ut Sacerdos sacra operaturus, cogeretur elevata, ac replicata anteriore vestis parte manus exserere. Ea res cum perquam incommoda, accideret, præcipue quando sine Diaconorum obsequio Sacerdos sacra faceret: subinde Casulæ utraque ex parte foramine aliquo pertusæ, ac denique omnino discissæ sunt. Habentur hodie vetustæ Casulæ, binis ad exserenda  
 bra-



brachia foraminibus pertusæ; donec ad commodiorem formam, quali nunc utimur, Sacerdotum Casulæ sint reductæ, scissâ, utrimque foraminum loco Casulæ inferiore parte, aliquoque relicto sinuamine, quod foraminum velut vestigia indicaret. In celeberrimo Asceterio Mellicensi inferioris Austriæ, servatur Casula per-vetus, crucifixi Servatoris & variis Sanctorum iconibus, subtili telæ coloribus impressis decorata: est illa undique clausa: nisi quod ex utroque latere magnum pateat foramen, quod ex-ferendis manibus facilem transitum præbet. At enim *Casula* hæc nostra hodie non est undique integra, neque foraminibus pertusa, verum ut initio dicebam, *Pluvialis*, aut *Pallii* nostri specie. Eam igitur suspicionem primum, & vero certam deinde opinionem concepi: fuisse *Casulam* hanc quoque olim *undique integram*, sed subinde discissam, & partem quoque aliquam ablatam esse, redactamque in hanc Pallii formam. Sat manifesta hujus discissionis indicia præbent, illæ mancæ imagines, quæ ad sinistrum latus primi & alterius figurarum ordinis positæ, in tertium excurrunt elementis A. & BD. in Schemate notata. Iconismus A. quadrangulo limbo cinctus,



etus, aliqua sui portione ita inscriptus est: O  
 SPES *Certa salutis*, ita suppleo ex *Petro de*  
*Reva*; figurarum isthic nulla discernitur: *Reva-*  
*jus* Crucifixi figuram adfuisse notat, ad cujus si-  
 nistrum hæc inscriptio OSPES C Iconismus  
 BD. ovatæ figuræ limbo Christum stantem, aliam-  
 que ad ejus pedes partem figuræ continet, cum  
 Epigraphæ mutila R. A. ETOBVQBRA hanc  
 Epigraphen *Petrus de Reva* sic scribit. R. R.  
 ET. O. B. VQBRÆ.

Magis porro comprobatur Casulæ immutatum  
 situm tò R. ad finem longioris in media fere  
 Casula inscriptionis relictum, cui olim juncta  
 erant elementa EGINA, ad initium ejusdem in-  
 scriptionis nunc male constitutæ, quæ res plane  
 arguit, totam *Casulam* ad pectus Sacerdotis o-  
 lim connexam, contextamque, atque adeo for-  
 ma vetustæ Casulæ undique clausam fuisse.

Illud quoque in Casula nostra servatum ani-  
 madverto, quod ex *Historia Episcoporum Anti-*  
*siodorensium* colligit Eruditissimus *du Fresne* in  
*Glossario ad Scriptores mediæ & infimæ latinita-*  
*tis*, ad vocem *Casula*: nempe casulis veteri-  
 bus



bus formam Pallii Archi-Episcopalis attextam fuisse. Nam in vestitu hoc nostro fascia verticalis media *VV.* cum zona *EE.* similem omnino figuram conficit.

Materiam Casularum cum holosericos, auroque, aut argento divites pannos, tum subtiliores telas aut Sindonem fuisse, e *Testamento S. Eduardi* patet, apud laudatum *du Fresne*, in quo bis mentio fit *Planetæ de Cendalo*. *Cendalum* vero, seu *cendatum* sindonem nonnulli ibidem interpretantur, vel telam subsericam: sive ex græco Σινδών, sive ex Arabico *Candal* (folium tenue) derivatum sit sindonis vocabulum. Ex ejusmodi tenuissima sindone Casula hæc nostra constat, figuris sacris eleganter adpictis, ut initio dixeramus.

## ANIMADVERSIONES

A D

## INSCRIPTIONES ET FIGURAS CASULÆ.

**E** multiplici hujus *Casulæ* Epigraphe, variisque Christi Servatoris, *DEI* paræ, Sancto-  
D rum-



rumque figuris, veterem illam, vereque Catholicam pietatem, & Regis pientissimi, & inclytæ Nationis nostræ Hungariæ condiscimus, quæ ita spem salutis omnem, gloriamque in Christo Domino repositam habuit, ut S. DEI paræ, Sanctorumque imagines etiam in instrumento *Sacrificii Missæ* proprio, proponere, atque adeo insignem aliquem Virginis Beatissimæ atque Sanctorum cultum ac pia suffragia minime excluderet.

Quam cuperem, ut sacrum hoc vestimentum inspicerent, ac citra obfirmati animi perturbationem considerarent Hungariæ nostræ protestantes illi, potissimum Reformationum, uti se appellant, nonnulli, qui S. Stephanum Regem tali Religione fuisse jactant, qualem ipsi profitentur. Sed ex hoc sacro vestimento, irrefragabili Religionis S. Stephani testimonio, alia condiscant, & ad veteris Ecclesiæ sinum revertantur.

Orthographiæ leges, quam infeliciter interdum a criticis constituentur pro singulis ferme sæculis, vel hujus Casulæ inscriptio monet, quod præsertim ad characterem formæ majoris facit.

Sane



Sane isthic in eadem linea diphtongus eadem & *AE*, & *Æ*, & *E* scribitur, nempe *HEC*  
*MARIÆ . . SITAE.*

Porro literæ duæ *M.* atque *E.* modo rotunda, alias angulosa forma occurrunt. Tò *A.* tam sine quam cum lineola media transversa comparet: litera *G.* plerumque inferiorem ductum quasi in spiram ad sui cavitatem dimidiam retorquet. Duo puncta, notis numericis Romanis adjuncta, hic etiam sunt obvia: tria puncta magis usitata eo loco, quo nos duo puncta aut mediam notam ponere solemus.

Leviora hæc sunt; at illud minime prætereundum, inscriptiones omnes latino charactere, ac idiomate conceptas, atque pro more, tum in Occidentali Ecclesia invalescente, rhythmos versus comparere: præterea sanctos Martyres exhiberi (præter Judæum *Stephanum*) latinæ potissimum Ecclesiæ: *Vincentium, Clementem, Sixtum, Cornelium, Laurentium*, e quibus tres Papæ Romani, Diaconus unus: Græcæ vero Ecclesiæ nonnisi pauci illi Martyres expressi sunt, quos complures Occidentales quoque Ro-



manæ Communionis Ecclesiæ colebant, *Cosmas, Pantaleon, Georgius*. Accedit: Petri Apostoli figuram tegumento capitis ornatam esse striato, ac velut radiato, reliquorum Apostolorum non item.

Denique annus Incarnationis, præter Indictionem, more Occidentaliū rite consignatus est: quæ omnia satis ab se loquuntur: & Stephanum Regem Hungariæ Coronæ, & Ecclesiæ felix illud exordium, Sedi Romanæ, non Constantinopolitanæ Ecclesiæ, in acceptis retulisse; tametsi alia eam in rem minime desunt argumenta, quæ per multa certaquæ suppetere egregie adversus *Schwarzium* Hallensem didascalum ostendit: *STILTINGUS S. J. Sacerdos in vita S. Stephani Regis: Act. Sanct. Die II. Septembris. Item CAROLUS PETERFY Soc. J. in Præfat. ad Tom. I. Concil. Hungar. & pag. 5. Quod vero A. & Ω. Christo adscriptum sit, nihil fane probat pro orientalis Ecclesiæ in Hungariam inducto ritu; nam hæ duæ græcæ literæ, Monogrammati Christi adstitutæ, & in occidentaliū Imperatorum numis, & in Christianorum sepulchralibus lapidibus in Italia, Gallia, Hispania passim occurrunt, atque in Constanti-*



ni Magni, ac filiorum item, atque successorum Imperatorum occidentalium numis eadem ratione exprimuntur: neque hic aliter τὸ Α. & Ω. adsignatur, quam cum latina, altera ex parte, interpretatione: PRINCIPIUM & FINIS. nempe *Christus DEI Filius.*

In Prophetarum ordine & nominibus illud mirum: eos inter Prophetas, quos aliquid scripsisse constat, & quorum scripta tenemus, etiam Prophetam Natan constituti, cujus librum nullum tenemus, cum tamen neque Eliam, neque Elisæum isthic locum obtinuisse conspiciamus. Fortasse *Nabum* loco *Natani* scribendum erat. Porro in hoc Prophetarum ordine primo loco quod desideratur Prophetæ nomen *Zophoniæ* fuisse arbitror.

Figuræ Prophetarum eorum, qui de Messia uberius, clariusque scripserunt, famaue celebriores fuerunt, proximi lateribus Christi, utraque ex parte sunt adstituti, nempe: *Ezechiel*, *Daniel*, ex una *Jeremias*, *Isaias* ex altera parte.



In constituendo Apostolorum ordine aliquid, ut in gente recens Christianis sacris imbuta, pictor Casulæ peccavit, qui *Judam* seorsim, ac seorsim *Thadæum* scribens, binos ex uno Apostolos fecit; neque enim Judæ Iscariotæ hic locus ullus esse potest. Itaque desiderantur isthic Apostoli: *Matthias*, *Barnabas*, & *Jacobus minor*; nam unicus, qui Casulæ insertus est, *Jacobus* calamus non gerit, uti alii Apostoli, quorum scripta tenemus: is igitur *Jacobus major* est, minoris enim Epistolam habemus, uti & *Judæ*, cui calamus itidem in Casulæ pictura attribuitur. Inter Martyrum effigies (queis infimus in Casula pictus est ordo) *Stephani Regis* & *Gislæ Reginae* imagines positæ sunt; sed loco infimo a tergo Sacerdotis, Casulam gestantis: estque omnium Martyrum tegumentum capitis idem, quod *Stephani Regis* & *Gislæ Reginae*, nisi quod circellos aliquot Sancti Regis Pileus contineat, quibus gemmas aut uniones insertas esse puto. Nolebat, ut opinor, isthic Sanctus Rex præ modestia, pretiosa & ornatiore Regia illa Corona splendidus effigiari, quam jam Anno millesimo a Sylvestro II. Papa, non sine Divini Numinis admirando



monitu, acceperat per Astricum Præsulem Colocensem, qui tunc legationis officio Romæ fungebatur.

Ejusdem itaque formæ Coronam, similiaque instrumenta, Lanceam & Globos, olim cruce munitos, & sibi, & Sanctorum (qui cum Christo regnarent) iconibus adjungi curavit. Pommum vero cum circulis, & Cruce Stephanus Rex manu gestat, quale Henrico Sancto Imperatori, Reginæ Gislæ Fratri, miserat Benedictus VIII. Pontifex Romanus, atque inter insignia Imperii Romano Germanici effulget; & si similis formæ globi in numis Imperatorum sæculi Constantiniani jam olim consignati sint. Aliarum quoque Provinciarum Reges Pomo seu Globo crucigero usos fuisse notat DU FRESNE in *Dissert. de Infer. Ævi numismatibus*.

Coronam illam tricuspidem, ternis liliis aut ejusmodi floribus ornatam, quali Stephanus Rex, Gisla Regina, & Sancti Martyres condecorantur, in sigillis Imperatorum Ottonum, & Conradi Secundi &c. apud ZYLLESIUM, SCHANNATUM, aliosque conspiciere licet; ut plane usita-

tum



tum hac ætate compluribus Regibus capitis ornamentum istud fuisse videatur.

Beatæ Gislæ Figura Templi simulacrum dextra sustinet, quo templum *Vesprimiense* indicari credo, teste BONFINIO, a Beata Gisla fundatum. Eadem pia Regina non modo, *vestes auro contextas, insano* (ut BONFINIUS *Decad. II. Lib. I.* scribit) *sumptu factas, per Collegia Sacerdotum sæpe distribuit; verum etiam eidem nihil erat antiquius, quam cum Viri probitate certare, sacras vestes, & ornamenta Sacerdotum diligentissime recognoscere, ut absumpta reficeret, aut lacera resarciret.*

Nihil itaque mirum foret, si Religiosissimum Conjugum par Regias adeo manus sacræ huic *Casulæ* conficiendæ admovisset, cum ipsa in hac veste legamus ita:

HÆC CASULA OPERATA EST & DATA  
--- A STEPHANO REGE & GISLA  
REGINA.

SCHE-



# S C H E M A C H R O N O L O G I C U M

*Coronationis Regum Hungariæ, ubi  
mentio fit Pallii S. Stephani.*

**Q**Uoniam Scriptores Rerum Hungaricarum minime contemnendi, *Bonfinius* imprimis, & *Revajus* de Pallio S. Stephani, quo Reges Hungariæ coronandi vestiuntur, ejusmodi tradunt, quæ in *Casula* nostra plane inveniuntur; dubitare cœpi: an non hæc ipsa olim Pallii instar in Coronatione Regum nostrorum adhibita sit. Hujus rei disquirendæ causa, Coronationis Regum Hungariæ acta, ubi mentio *Pallii*, etsi variis sub vocabulis facta est, conquisivi, & chronologicum in ordinem redegi.

Anno 1385. de Caroli Parvi Coronatione. *Johannes de Thwroc* pag. 117. ita narrat: ubi *Carolus* sacrata circumdatus *Veste* medius *Procerum* stabat; nec minus *Clero* mystica *Dei* verba cantante, summus *Strigoniensis* *Præsul* regale tenens præ manibus *diadema*, voce levata de more *plebem* interrogat: si *Carolus* placet in *Regem*?



Anno 1438. dum Albertus Austriacus Imus Rex Hungariæ (Cæsar hoc nomine II<sup>us</sup>) coronaretur, sequens minus diferta mentio fit de Pallio Regali, apud *Reverendum Patrem Bernardum Pez in Codice Diplom. part. III. pag. 230. Quo facto schola inchoat, & prosequitur Introitum Missæ; tunc Rex vel in sacristia, vel sub papilione ad hoc parato, induitur regalibus vestimentis. Induit etiam super vestes convenientes lineam seu amplam Camisiam, ad similitudinem Albæ, Amphibalem novam, mundam & candidam, & est Amphibalis filosa vestis; ac desuper induit maximam Purpuram, auro & gemmis decoratam.*

Anno 1444. idem Auctor eodem Tomo de Coronatione Uladislai I. pag. 651. *Pallium Divi Stephani* appellat his verbis: *Cum in habitu Regiæ Majestatis, & Coronatus in Pallio Divi Stephani esset, mirabile spectaculum se exhibuit.*

Anno eodem 1444. *Philippus Callimachus* de Coronatione ejusdem Regis Uladislai I. *sacras induvias* appellat hoc ordine narrationis: ubi

Ar-



*Archi-Episcopus Uladislau de more coronat, rite atque ordinate servatis, postridie ex universorum qui convenerant sententia constitutum, ut Corona S. Stephani cum sacris Induviis reconderetur.*

Anno 1490. *Bonfinius* de Coronatione Uladislai II. Regis agens in descriptione Pallii Regalis multum cum nostra Casula, si aurum demas, congruit; quapropter merito in dubium vertere cœpi, an non hæc Casula pro Pallio adhibita olim fuerit in Coronationibus Regum Hungariæ; quod tamen iudicio legentium committendum arbitror. Vide sequentia *Dec. IV. lib. X. pag. 679.* *Postquam Rex sacris Regalibus initiatus esset, a Pontificibus turbaque Procerum in solium reducitur; Metropolitanus subinde sacris occipit operari, & initio sacer chorus concinere cœpit: interea Rex in sacrarium relatus, deposito Paludamento Regali, Divi Stephani Regis habitu, aureis coturnis induitur; Pallium e serico factum uranei coloris erat, cui Thronus, & Apostoli omnes, cum Divina Majestate, ex auro contexti in Palmatæ vestis speciem, quod non tam vetustate & censu, quam Religione picturæ*



*Æturæ spectabile videatur. Regali ac sacro indutus habitu solum repetit.*

Anno 1526. Ioannes Zapolya, prius Vayvoda Transilvaniæ, Pallio hoc & aliis Regni Clenodiis insignitus est, posteaquam a quibusdam Magnatibus, Prælatibus, ac Nobilibus Rex acclamatus fuisset.

Anno 1527. Ferdinandus primus, Joannis æmulus, Albæ Regalis insignia Regia sumpsit, deinde Filio Maximiliano, Coronam & insignia Posonii (quo translata sunt) conferri voluit. De Pallio nihil singulare occurrit sub Joanne. Meminit tamen *Isthranffius* Pallii generico nomine *insignium*, dum Solimannum Budæ divertisse scribit: *Lib. X. pag. 104.* „ *At Soliman-*  
 „ *nus Budam divertens, in arcem ex castris se*  
 „ *contulit, Joanneque ibidem Rege constituto,*  
 „ *(ergo non nostræ genti modo usitato electo)*  
 „ *in Clientelam Patrociniumque suscepto, Re-*  
 „ *gium diadema, quod Hungari sacrum appellant,*  
 „ *sceptrumque & reliqua Regni insignia atque*  
 „ *ornamenta ei tradidit.*



Laudatus auctor *Lib. XIII. pag. 183.* porro ita habet: *deinde Regina (Uxor Joannis Zapolyæ) Coronam & sceptrum, cæteraque eo spectantia in arca vetusti operis, sed ferreis repagulis bene munita deprompsit &c.*

Secundum enim Zapolyæ mentem ab Isabella ejus Coniuge in Daciam fuit translata Corona cum reliquis Clenodiis Regni, reddita tandem Ferdinando I.

Anno 1563. Sub Maximiliano Rege I. (Imper. II.) Pallium S. Stephani a Belio memoratur *parte I. in Notitia Regni Hungariæ cap. 8. de Prærogativis urbis Posoniensis pag. 293. Hic Pallium S. Stephani sumpsit Maximilianus, quo humeris adaptato, Procures, qui eum huc adduxerant, destinata quisque insignia præferebant. Quæ tamen omnia ex manuscriptis cujusdam Listii hic auctor habere se testatur.*

Eodem Anno 1563. de eodem Rege, idem auctor scribens, *Paludamentum S. Stephani appellat. Vide Parte I. in Notitia Regni Hungariæ Cap. XIII. pag. 301. Et Rex quidem Paludamento S. Stephani amictus . . .* An-



Anno 1572. Rudolphus II. Maximiliani II. Imperatoris, Regis vero I. filius coronatur: *Non alio ritu, religione, solemnitate, locis templis, quam quibus ante novem annos, dum Maximilianus eodem Diademate exornaretur, omnis Pompa finita est: ita Istbvanffius Lib. XXV. initio pag. 325.* Mirari, subit, eccur auctor iste in Coronatione Uladislai II. & Ludovici Pueri nihil de Pallio memoraverit, cum tamen reliquum ritum coronationis diserte conscripserit.

Anno 1608. de actis Coronationis Matthiae II. habemus narrationem *Khevenbülleri Comitis, Annalium Ferdinandeorum Tom. VII. novæ edit. a pag. 23. usque 24. & 25.* Inter insignia Regni primum non comparet *Pallium*, nec in Coronatione ipsa illud memoratur, nisi *pag. 28.* ita: post Coronationem & Unctionem sub missa, Habitum S. Stephani appellat his verbis: *Als der König unter dem Offertorio zum Altar geführt, und als er mit gebognen Knien dem Cardinal zween güldene Pfennig dargerreicht, wieder in seinen Thronum gangen; immittels haben ihr viel hohes und niederes Stands Personen auch Geist- und Weltliche, ex Devotione*



ihre Pater noster dargereicht, und durch einem Priester, so neben des Königs-Thron an gestanden, damit die Cron und Habitum Stephani anrühren lassen, und ist also das Sacrum verrichtet, und vor der Benediction die Königl. Majest. so den Tag zuvor gebeichtet, communiciret worden.

Eodem Anno 1608. de eodem Rege *idem auctor pag. 30.* ubi scribit cerimonias mensæ Regalis: S. Stephani gulden Rock memorat: *Ihr Königl. Majest. in ihrem alten Habith, und S. Stephani gulden Rock und Cron aus ihrer Cammer mit Erz-Herzogen Maximiliano gangen.*

Eodem Anno 1608. Casulæ nomen post acta Coronationis primum depromitur in *Ludewigii reliquiis Manuscriptorum* Tom. VI. numero IX. pag. 339. est autem titulus: *Modi in Coronatione Regis Hungariæ observandi.* Annus quidem non adjicitur, sed desumptos esse hos modos ex Coronatione Matthiæ II, aut occasione ejusdem adnotatos, certum est ex nominibus Procerum & Officialium; cum iidem ab hoc auctore nominentur, qui in Khevenhülleriana



riana laudata narratione. Isthic ergo pag. 342.  
post Dapiferorum nomina ponitur:

*Hæc sequentia sunt in Casula Regia Regni  
Hungariæ.*

**Circa Collum**

*O Spes certæ salutis signum Crucis!*

**In Sinistro humero**

*Emicat in Cælo Sanctæ Genitricis Imago.*

**In Dextro humero.**

*Dat summo Regi famulatum Concio Cæli.*

**In Dorso in Inferiori Circulo.**

*Hostibus en! Christus prostratis, emicat alte.*

**In primo Circulo Inferiori.**

*Anno Incarnationis XCI. MXXXI. indictione  
XIV. a Stephano Rege & Gyhla Regina Casula  
hæc cooperata & data Ecclesiæ S. Mariæ sitæ  
in Civitate Alba.*

**In Inferiori Circulo Dorfi.**

*Sessio Regnantem notat & Christum Dominantem.*

Nihil præterea de hac Casula isthic adjungi-  
tur, nihil de figuris. Sed ex inscriptionibus  
manifestum est, nostræ Casulæ hic factam esse  
mentionem.

Si-



Similem plane Casulæ nostræ descriptionem ex *Tabulario Cancellariæ Aulicæ Regni Hungariæ* nacti sumus, benignitate Excellentissimi Domini Cancellarii Domini *Leopoldi Comitis de Nadasd*, cujus merita in sedem Apostolicam, Regem, Regnum omnibus fere nota. Manuscriptum documentum erat, vetustum, atque ut videtur, rei gestæ Synchronum: ita inscriptum. *Modus Coronationis Matthiæ II. Regis Archiducis Austriae anno 1608. factæ XIX. Novembris.* Electiopræcessit XV. ejusdem. Hujus scripti partem illam, qua *Casulæ Regiæ* inscriptiones aliquæ referuntur, edidit *Joannes Petrus de Ludewig* uti modo retulimus. In manuscripto vero isthoc minutia quædam diversæ sunt, nempe in titulo est ita notatum:

*Hæc sequentia signata sunt in Casula Regiæ Regis Hungariæ apud Ludewig: Regni Hungariæ.*

In sinistro latere: *Micat in Cælo; Ludewig melius: Emicat in Cælo.*

In dorso in inferiori circulo - - - *Ho-*  
F *sti-*



*stibus en Christus prostratis micat Albæ. Ludewig melius: prostratis emicat Alte.*

In primo circulo inferiori apud Ludewig male habetur: Et Gybla Regina; melius in Manuscripto nostro: & Gisla Regina.

In continuatione hujus Epigraphe non bene in Manuscripto nostro ita: *Casula cooperta & data Ecclesiæ Sanctæ Mariæ suæ in Civitatem Albæ.*

Denique in Manuscripto: In inferiori circulo dorsi.

*Sessio Regnantum notat, & Christum Dominantem.*

Apud Ludewig recte: *Sessio Regnantem notat & Christum Dominantem.*

In alio fusiori documento MSto *Coronationis Matthiæ II. Regis in Regem Hungariæ, Electio Matthiæ die XIV. Novembris collocatur.* Præterea in naratione coronationis ante Litanias, & ante jusjurandum a Rege depositum, & ante Unctionem, *Matthias Sancta Divi Stephani Regis Tra-*  
*bea,*



*bea, seu Pallio indutus sistitur.* Sed videtur ordinem solitum non servasse historicus.

Denique qui huic Matthiæ II. Coronationi interfuit *Petrus de Reva* seu *Revay* Comes Turocensis, quique custos Cimeliorum Regni erat, Pallium S. Stephani satis exacte descripsit: idem quoque *Revay* Viennam deferendum hoc sacrum Pallium petenti Matthiæ II. Regi ob juramenti sui Religionem negavit primum, deinde porro consensu Procerum Viennam attulit, delineatumque pro Pontifice Paulo V. (qui iconisimum celeberrimi hujus Pallii petierat) Romam misit.

Atque hæc ipse narrat *Centuria VIII. pag. 140.* Retulitque subinde Posonium sacram hanc vestem *Revay*. Hic igitur ita de hoc Sacro vestimento, inter ea, quæ ad coronationis solennitatem necessario requiruntur, scribit in *Commentario de S. Regni Hungariæ Corona pag. 80. Edit. Tyrnav. (Pallium sive Regale Paludamentum D. Stephani non tam vetustate & censu, quam religione picturæ admirabile est, ex serico factum Uranei coloris, cui DEI Thronus &*



*Apostoli omnes cum Divina Majestate parte una, parte altera Triumphus a Cruce ex Auro contexti, in palmatæ vestis speciem.)*

Descriptio hæc *Comitis Revay* plane congruit cum descriptione *BONFINII*, superius memorata; facile concludere hinc possumus, illum descriptionem hanc a *Bonfinio* accepisse, atque talia reipfa & *Bonfinium* & *Revayum* in hoc Pallio invenisse. Idem *Revayus* ibidem pag. 80. Ita describit figuras & inscriptiones *Pallii*:

Inter scapulas ad imaginem Christi  
hæc extant:

*Hostibus en Christus prostratis emicat Alte.*

In humero dextro ad imaginem Beatae Virginis hæc leguntur:

*Emicat in Cælo Sanctæ Genitricis imago.*

In humero sinistro ad imaginem Beati Joannis Evangelistæ:

*Dat summo Regi Famulatum Concio Cæli.*



In summitate supra fimbriam a tergo.

*Sessio regnantem notat Christum Dominantem.*

Circa collum ex sinistra parte Crucifixi.

O! spes certa salutis a dextra parte Crucifixi majusculis R.R.E.T.O.B.U.M.B.R.A. Quorum literarum mysterium nonnisi Auctori ipsius, Divo Stephano notum, quas divinando si quis velit interpretari, si quid ad rei veritatem facere videretur, sic liceret.

Regina, Romanæ, Ecclesiæ, Totius, que Olympi, Beata, Virgo, Maria, Bellicosi, Regni, Advocata.

Vel vero secundum circumstantiam Rex, Regum, Est, Triumphator, Orbis, Benedictus, Virgo, Maria, Beata, Regina, Angelorum.

Si hæc de DEO aut Christo dicantur, constat optime sententia, & magis proprie, quam si ad Benedictum Pontificem referamus. Si vero ad Divum Stephanum, vere illum Benedictum, fuisse dicemus.



Qui fidei Christianæ non in Hungaria duntaxat, sed ad Sarmatas usque & Getas propagator fuit. At quod literis: UMBRA, puncta non sint apposita; proinde dictionem unam constituere per se videntur. Unde sensus erat; Regni cælestis illius & spiritualis, terrenum hoc Umbram esse. Magistratus enim est summi DEI imago, & Umbra, & in hoc sæculo una Lex Regibus cum reliquis hominibus posita est, nempe: quod pulvis & Umbra sumus: aut quod pictura hæc sacrarum imaginum in sacra veste; Umbra tantum sit rerum existentium. Nihil profecto ex sacro hoc picturæ habitu ad naturam boni Regis verius, nihil ad Regiam Dignitatem antiquius; quam ut DEUM, cujus imaginem gerit in terris, agnoscat & colat: sanctitatem & justitiam, cum religione observet inviolatam, & fide Christiana propugnata exoptatam de hostibus referat Victoriam, præmia denique rei bene gestæ non in terris sed coelis expectet.

Eadem etiam Belius sed Petri Revayi Verbis (ut ipse fatetur) annotavit. Convenit ergo Ludewigii Casulæ descriptio cum Petro Comite Turocensi, præter ea, quæ annotare non



non abs re erit: Desideratur enim apud *Revayum* Annus Incarnationis XCI. MXXXI. Est porro mira *Revayi* sententia de iis literis, quas notat a *dextra parte Crucifixi* (circa Collum) majusculis R. R. E. T. O. B. UMBRA. interpretando ut supra memini. Enimvero frustra videtur esse *Revayus*, dum singulis hisce literis singulas voces significari arbitratur; neque enim in *Pallio* isto seu *Casula* puncta sunt post singulas literas, uti *Revayus* pag. 81. expressit, sed est manca inscriptio, mancæ item icones. Eam ego inscriptionem Carmine hexametro qualicunque rythmo terminatam fuisse puto, uti aliæ similes imaginum Epigraphæ in hac veste leguntur:

Quare exitum hujus versus fuisse vel talem, vel similem puto: *TUERE. ET. OBUMBRA.* vel itaque litera R. loco E videtur vitiose picta, vel E inclusa in T. ut in vocabulo *SEPHANUS*. & uti non nulla alia scriptoris vel pictoris sphalmata occurrunt in hac ipsa *Casula Sacra*, nempe præter *SEPHANVS* pro *STEPHANVS*: *BETRVS* pro *PETRVS*, item *DANINEL*, pro *DANIEL*. &c.

Ad-



Addit etiam *Revayus Comes* indictionis numerum, & hoc Pallium *Trabeam Divi Stephani* appellat, vide pag. 80. ubi sic scribit: *Aut si quis exactiorem hujus Trabeæ Sacræ delineationem habere velit, sequentia peculiari studio inde desumpta, contempletur.*

*In dorso circum circa, infra cingulum hæc habentur verba: Indictione XIII. a Stephano Rege, & Reisla Regina, Casula hæc operata & data Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, sitæ in Civitate albenfi.* Progreditur deinde, sicut annotavi, ad figuras, & inscriptiones.

Errasse hic in nomine Reginae apographum *Revayi* Lector eruditus facile advertet, cum loco *Gisla*, *Reisla* scriptum sit, sicut apud *Ludewigium: Gybla* loco *Gisla*.

*Anno 1618. sub Ferdinando II. Habitus & Paludamentum Divi Stephani appellabatur; vide Petrum de Reva Centuria VII. pag. 134. ita de Ferdinandi II. Coronatione loquentem: Unctio subsecuta est: qua peracta indutus Electus habitu & Paludamento Divi Stephani,*



*consedit Throno &c.* deinde Missa & Coronatio secuta est.

De Coronatione ejusdem Ferdinandi II. scribit Illustriss. *Khevenhüller Annalium Ferdinandeorum Tom. IX. pag. 21.* sequentibus Verbis: hernach viel Gebett von Bischoffen und Prälaten über Ihr Königl. Majest. gesprochen, und die Litanie mit schöner Music gesungen worden, unterdessen hat Andreas Doczi Ihrö Königl. Majest. Dero Königl. Habit an der Brust und rechten Arm aufgemacht, und der Erz-Bischoff von Gran Sie mit dem Heil. Del neben Sprechung der gebräuchlichen Gebettern gesalbet, Sie hinter dem Hohen Altar, so auf der Seiten mit guldenem Stuck, und schönen Tappetereyen verhengt gewesen, geführet, wider sauber gewaschen, und alsdann nach der H. Salbung mit dem Habit und Rock S. Stephani neben auch angehangten Gebethen umgeben worden.

Anno 1625. de Ferdinandi III. Coronatione Sopronii suscepta, laudatus *Khevenhüller, Tom. X. pag. 103.*) die VII. Decembris Coronatio iisdem Ceremoniis, quibus sub Imperatore



*Ferdinando (secundo) peracta fuit: ubi nihil singillatim de Pallio S. Stephani memorat. De Coronatione hujus Ferdinandi III. scribens Istbvanffius Pallium memorat, sub Paludamenti nomine lib. IV. p. 1535. sequentibus: Missi continuo, qui sacrum diadema Regio cum Paludamento Posonio asportarent; hæc Hungari summa religione, jam inde ab annis usque DC. & ultra, a S. Stephani primi Regis Christiani temporibus asservant adhuc, quod mirearis, non modo Corona, sed Paludamentum, sceptrum, Gladius & Globus, vestesque, integra omnia, atque illæsa apparent.*

Idem auctor nomine generico (*Insignia Regia*) complectitur Pallium (*vid. eundem librum eandem pag.*) *Procedebant Germani Tubicines, tum Barones, alique Equitum Magistri, cum suis turmis cataphractorum, hos sequebantur Hungaricorum Procerum primarii, cum magno nobilium comitatu, tum tres Gubernatores Croatiae, Dalmatiae, & Slavoniae, vulgo Bani dicuntur, deinde equitabant 50 fere ex Ministris Hungarici Palatini, Leopardorum, Tygridum, aliarum ferarum pellibus contexti, post*  
*hos*



*bos Palatinus ipse medius, inter Germanos atque Hungaros Barones, Consiliarios, Principesque, tum Corona ipsa cum cæteris Regiis Insignibus currui cæsareo imposita vehebatur.*

*Item idem auctor eod. lib. ead. pag. Regium Ornatum memorat loco Pallii sequentibus: Rex primum Aræ gradum ascendens, Gladium S. Stephani evaginavit, tum Palatinus ad latus Evangelii consistens, & Coronam de manu sacrificantis accipiens, conversus ad populum magna voce acclamavit, O Regnum inclytum, O Hungari, quot quot estis! vultis hunc Ferdinandum Ernestum Archiducem Austriae, Sacra S. Stephani Corona solenniter inaugurari? respondentibus omnibus: volumus, volumus, vivat Rex, vivat Rex! Archiepiscopus Coronam de manu accipiens Palatini, Regio capiti imposuit. Sacro finito Rex versa ad populum sede, quatuor Equites leniter Gladio S. Stephani percussos creavit: omnibus deinde Ceremoniis finitis novus Rex regio adhuc ornatu insignis extra oppidum in cli-  
vum equum adegit, ubi &c.*

*Anno 1655. De Coronatione Leopoldi*



Magni, *Theatrum Europæum* consulens animadverti *Tom. VII. pag. 722.* in actis ejus Coronationis, minus accuratis nullam mentionem esse *Pallii* ante unctionem.

*Anno 1687.* In Coronatione Josephi *Theatri Europæi Tom. XIII. pag. 110.* memoratur: Josephum Regem post sacram unctionem indutum esse *Habitu & Calceamentis S. Stephani.*

*Anno 1712. Theatri Europæi Tom. XIX. pag. 174.* in Coronatione Caroli, mentio *Habitus* fit post unctionem: Regem ab Episcopis, assistente supremo Aulæ Præfecto, in Throno indutum esse *Habitu & aureis Calceamentis S. Stephani.* Paucis item (*in continuatione Revayi de Corona*) scribitur: *Vestitus S. Stephani induitur Carolo post unctionem.*

*Anno 1741. Die 25. Junii MARIA THERESIA* hodie Rex & Augusta, de cujus Coronatione, ad *Pallium*, & reliqua *Insignia* spectantia memoranda quæpiam accipe, ex Cancellaria Aulica Regni Hungariæ nobis communicata.

Au-



## Autographi titulus ita habet.

*Ordo Coronationis sue Majestatis Serenissimæ Reginae Hungariæ, Dominae Dominae MARIÆ THERESIÆ Posonii solenniter peragenda Anno 1741.*

*Post Unctionem ita:*

*Demum Reginam retro altare comitantur, ubi oleum abstergitur, & Regina ab Episcopis ad Thronum suum ducitur, ac ibidem veste seu Habitu Divi Stephani assistentibus idcirco Cubiculariorum ac Curiaë Magistro, induitur.*

## Deinde de Mensa ita:

*Demum Sua Majestas mensæ accumbet cum Corona in capite, & Habitu Sancti Stephani.*

Ex alio documento CancellariæAulicæ Hungaricæ, quo continetur ordo, & ritus, tam adventus Posonium, quam Coronationis MARIÆ THERESIÆ Reginae Hungariæ, & Bohemiæ. Anno 1741. a 19. Junii usque ad 25. diem ipsam Coronationis.



In ritu Coronationis post Unctionem hæc notata sunt.

Und Ihro Majest. wurden die eröffnete Kleidungen von der Frau Obrist-Hoffmeisterin und beyden Cammer-Freylen wider zuruck gemacht, die Sandalia S. Stephani aber legten Ihro Majestät nicht an, weilten Allerhöchst Dieselben, darinne nicht zu gehen vermöget hatten. In dessen hatte der Hr. Erz-Bischoff Primas sich die Hände gewaschen, und wurde an sein gegen den Thron über ad Faldistorium zubereiteten Orth, wohin eben jener Sessel, so bey den Altar gestanden, gestellet worden, wie schon oben bey denen Dispositionen beschrieben, durch seine Edl-Leuthe unter denen Armen geführet, Ihro Majest. die Königin kamen auch bald wider hervor, und erhuben Sich in obangezogener Begleitung in Dero gegen den hohen Altar über stehenden Thron; woselbst allerhöchst Deroselben der Mantel des Heil. Stephani umgeben, welcher zu mehrerer Bequemlichkeit voran in der Nad eröffnet, und Ihro Mayst. also umgeben worden, daß Selbe zu beiden Seiten an denen Achsel-Bändern angeheftet, mithin voran völlig offen gestanden. Zu Umgebung die-  
ses



ses Mantels haben nicht allein die zwey assistirende, Erz- und = Bischöffen, sondern auch die Frau Obrist = Hoffmeisterin nebst denen Curia- und Cubiculariorum Magistris geholffen.

Ex iis omnibus, quæ de variis vocabulis *Pallii*, seu *Paludamenti S. Stephani* ad Coronationem Regum nostrorum adhibiti, deque figuris ejus, atque inscriptionibus protulimus, arguere non nemo posset: *Pallium S. Stephani*, quale hodieque inter *Insignia Regni Apostolici* Posonienſi in Arce asservatur, aut idem, aut simillimum esse cum *Casula* nostra, quæ *Pallii* formam refert, atque a *S. Stephano Rege* certam originem ducit.

Attamen huic opinioni obstant res duæ: prior, quod *Pallium S. Stephani*, quo novi Reges vestiuntur, Posonii servetur; *Casula* vero Vindobonæ in sacro Thesauro sit reposita. Altera quod BONFINIUS æque, ac REVAYUS *Pallium S. Stephani* figuris auro contextis fulgere perhibeant; quando in *Casula nostra* nihil auri neque est, neque fuit unquam; etsi color flavus, isque olim nitidior, præbere auri spe-



speciem intuentibus poterat. Verum REVAYUS Coronæ Custos utique coram vidit, & contrectavit regni insignia, atque ipse tamen *auri* mentionem facit, dum *Pallio S. Stephani* easdem prorsus figuras, inscriptiones, atque defectus etiam attribuit, quæ nostra *inCasula* eodem modo conspiciuntur. Mihi itaque videtur, aut olim *Casula* hæc una cum *Pallio* illo, aut loco ejusdem, interdum ad Coronationis Ritus circa Mathiæ II. Regis tempora adhibita, quod utrumque vestimentum *Pallii* formam referat, & *S. Stephano* utrumque debeatur: aut *Revayum*, aliosque *Pallium* cum *Casula* ob figurarum aliquam similitudinem, & *Casulæ* fulgorem, confudisse: cum alia *MSta duo: Cancellariæ Austriacæ Reg. Hungariæ* unum, alterum *Ludewigianum*, vestimentum nostrum diserte *Casulam Regni* appellent; aut denique cum *Revayum*, Custodem Insignium Regni, & virum doctum, de oscitantia accusare durum sit, in ejus opere *de S. Coronæ Regni Hungariæ ortu &c. pag. 80. edit. Tyrnav.* aliquid deesse, aut aliter ab ipso olim scriptum fuisse censeo: ut descriptio illa longior figurarum & inscriptionum, ad aliam  
fa-



facram *Trabeam*, seu ad *Casulam* nostram describendam ab auctore fuerit destinata.

Ego quidem certe *Casulam* hanc inter Insignia Regni unquam fuisse non adducor ut credam; cum noverim quanta cura singula dispiantur atque conserventur. Verum sacrum hoc vestimentum in Thesauro Ecclesiæ Albensis, cui S. Stephanus illud dono dederat, permanisse opinor, donec ad Thesaurum Vindobonensem translatum sit. Id evenisse suspicor anno 1543. quo (teste *Istbvanffio lib. XV. pag. 166. & 167.*) Solymanno tradita est Alba Regalis, iis pactis (quibus etiam stetit Barbarus) ut Germani, Italique milites *cum Sarcinis* libere discederent; quos ego non dubito curasse, ne sacra Cimelia impurorum hominum rapacitati relinquerentur. Equidem antea anno 1490. Alba a Maximiliano I. Cæsare vi capta, direptaque fuerat; verum proposita furcæ pœna furentem militem a *Sacrorum locorum* violatione cohibuerat pius Cæsar, teste *eodem Istbvanffio lib. I. pag. 6. & 7. & Fuggero lib. V. Cap. 38. pag. 1028.* Itaque Epochâ translatae Vindobonam sacrae *Casulæ* statuenda videtur anno 1543. Delituit diu hæc



veneranda Vestis, donec aliquot abhinc annis,  
cum jussu MARIAE THERESIAE Reginae  
Augustæ Thesauros Austriacos novum in ordi-  
nem redigeret Vir Perill. Jos. DE FRANCE, in-  
ventum hoc Vestimentum, inter alia, quo non  
pertinebat, peregrina olim collocatum,  
inter veneranda sacri Thesauri Ci-  
melia est repositum.

O. A. M. D. G.





# M A T E R I A T E N T A M I N I S P U B L I C I, E X H I S T O R I A E T R E N U M A R I A Q U Æ S T I O N E S.

**A** Nnus verus Christi nati probabilius antecedit  
vulgarem 4. annis completis.

Veritas Christianæ Religionis potest ex ejus Hi-  
storia & Doctrina demonstrari.

Quis Status Reipublicæ Romanæ ( sub Augusto  
& proximis temporibus ) Geographicus, Religionum,  
Politicus & Literarius ?

Numismata Augustorum Romana & Græca &  
Coloniæ, magis obvia, legere, exponere & ad  
historiam applicare.

Numi Augustorum in Ægypto cusi exhibent no-  
tis Numericis annos Imperii.

Qui Reges exteri Romanorum aut æmuli aut  
Clientes, quorum numi habentur ?

Quænam fuere Barbarorum 4to & 5to sæculo ir-  
ruptiones in Imperium Romanum, quæ inde enata  
Regna ?

Quæ initia Saracenorum, Turcarum, Bulgarorum,  
Hungariæ quæ Geographica Synopsis, quæ Chro-  
nologico-Historica, quæ Politica ?

Quæ notitia brevis de monetis Hungariæ, item de  
Numismatibus mæmofynis Hungariæ ?



# EX PHYSICA GENERALI Q U Æ S T I O N E S.

**U**Nde nomen Physicæ? quæ ejusdem divisio? quæ origo & progressus? Quid in experimentis instituendis observandum? quæ principia accurato veritatis Scrutatori præscribit Newtonus?

Quæ sunt Leges naturæ? quid sentiendum de Systemate Atomistarum, Anaxagoræ, Cartesii, Newtoni, Elementariorum? quid motus refractus? quid reflexus?

Quæ Leges Corporum collisorum?

Quæ principia Statices?

Quod principium Mechanices universale?

Quæ Leges Hydrostaticæ?

An gravitas explicari potest per motum verticosum ætheris in sensu Cartesii?

An per plures vortices in sensu Hugenii?

An per pressionem rectilineam materię æthereæ?

An per motum oscillatorium substantię elasticæ?

Utrum ad congelationem requirantur particule frigoriferæ, Salinæ, ac nitrosæ ad mentem Muschenbroekii?

# A S S E R T I O N E S.

**I.** **P**hysica est scientia rerum naturalium in id intenta, ut naturam corpoream, ejusdemque ordines, vires, leges, effectus inquirat, singulorumque origines, causas, rationes, modos ac usus (quatenus scire datum est) ex genuinis principiis deducat.

2. No-



2. Nomine Corporis Physici intelligimus ens extensum, impenetrabile, mobile, divisibile, aliasque proprietates universis corporibus convenientes habens.

3. In ordine ad scientiam physicam & experimentalem, & ad explicandas mixtorum affectiones pro principiis immediatis corporis naturalis rite statuuntur quinque elementa chemica.

4. In argumento de vacuo Gassendi potius, quam Cartesii opinionem amplectimur, censemusque intra uniuersum non quidem dari vacuum coacervatum, sed disseminatum.

5. Quodvis Corpus sensibile in minutissimas partes vel aqua, vel aere, vel igne, aut alio menstruo stupendum in modum resolvi potest ita, ut moleculæ divisæ, ejusdem sæpe sint naturæ cum toto, eandemque non raro figuram servant, quam in composito obtinuerunt.

6. Corpora perfecte solida non reperiuntur, sed omnia quæ a nobis tractari possunt, poris instructa sunt, pororum tamen magnitudo, multitudo, & figura in diversis corporibus diversa deprehenditur.

7. Vis illa inertiae positiva, qua corpus tam in statu motus, quam quietis se conservat, per alias corporis proprietates explicari non potest, atque adeo est proprietas ab aliis distincta.

8. Necessitas explicationum physicarum magno numero postulat, ut confugiamus ad vires extraordinarias a mechanicis distinctas, seu deinde illæ dicantur attractiones, seu propensiones, cohæsiones, adhaerentiæ, seu alio nomine appellentur.

9. Gravitatis nomine intelligimus eam vim, qua corpus ad centrum terræ movetur, si nihil est, quod



impediat, præcipua hujus Phænomena sunt nifus, aut motus perpendicularis ad horizontem, motus ad sensum uniformis acceleratio, & proportio ponderis cum massa.

10. Si lex attractionis universalis statuatur in ratione directa massarum, & duplicata reciproca distantiarum, dicta gravitatis phænomena repeti congrue possunt ab attractione.

11. Ad explicandam elasticitatem neque sufficiunt Leges mechanicæ hætenus nobis notæ, neque vires attractionis; verum si tribuatur igni elementari vis expansiva, seu repulsiva (undecunque dependeat) phænomena elasticitatis exponi posse censemus.

12. Calor Corporum consistere videtur in actione ignis remissiore, unde corpora fiunt calida, si eorum moleculæ ad similem motum concitentur, frigus autem pariter in corporibus spectatum nihil aliud est, quam caloris imminutio.

13. Sapores consistunt in ea partium textura, qua fit, ut a saliva dissolvi, illis nervorum apicibus, qui sub linguæ & palati membranis protuberant, apte applicari, hosque pro diversa figura, modis etiam diversis demulcere, agitare, vellicare, stringere, ac compungere possint, cumque salia his imprimis qualitatibus gaudeant, ea pro fundamento saporum statuuntur.

14. Odores sunt effluvia maxime exilia, quæ aeris alluvio a corporibus abrepta, & cum eo tanquam vehiculo sub actu inspirationis narium cavernas subeuntia harum fibrillas nerveas vario modo



do impellunt, atque commovent, porro exhalationes odorem spargentes sunt naturæ salino-oleosæ.

15. Sonus in ipsis corporibus spectatus constitit in motu tremulo partium minimarum elasticarum, consideratus autem in medio est motus tremulus, & oscillatorius, aeris prorsus analogus corpori sonoro.

## EX PHYSICA PARTICULARI QUÆSTIONES.

**Q**uæ sunt præcipua doctrinæ capita in Systemate Ptolæmaico? quæ in Tychonico? quæ in Copernicano?

Quæ stellarum fixarum natura, unde earundem scintillatio?

Quæ de stellis novis probabilior sententia?

Quæ est substantia solis?

Quid ejusdem maculæ?

Quæ planetarum, & speciatim lunæ indoles?

Quid ejus maculæ? An suam habet atmospheram?

Quid de planetarum incolis sentiendum?

Quomodo Ecclipses solis, & lunæ explicandæ?

Quid de Astrologia judiciaria, & influxu astrorum sentiendum?

An Cartesiana, an Newtoniana hypothesis de motu astrorum probabilior?

Quid fulgur, quid fulmen, tonitru, ignes fatui, stellæ cadentes?

Quid est nebula, nubes, pluvia, ros, pruina, nix, grando?



Quæ sunt causæ ventorum, quæ eorundem utilitas?  
Unde oriuntur Irides, Halones, Parrhelii, Para-  
selenæ?

## ASSERTIONES.

1. **S**ystema mundi Copernicanum utpote ma-  
gis simplex, & expeditum præferendum  
est Ptolæmaico, & Tychonico.

2. Lumen non consistit in profluvio quodam  
ignis, ut docet Newtonus, sed in pulsibus æthe-  
reïs, qui analoge ad sonum propagantur.

3. Color corporum opacorum neque explicari  
potest per simplicem radiorum reflexionem, neque  
per mixturam lucis ac umbræ, neque per fortiores  
vel debiliores lucis reflexæ vibrationes.

4. Explicatur proinde per hoc quod partes in-  
tegrantes certo modo tensæ, certæque elasticitatis  
sint, ut a luce incidente in sibi proprium motum oscil-  
latorium, instar chordarum excitentur, similesque  
deinceps pulsus ætheri imprimant ambienti.

5. Cometæ non sunt corpora ex exhalationibus  
astrorum compacta, sed sunt planetæ per orbitas  
ellipticas admodum excentricas moti.

6. Præcipuæ ignis proprietates: fluiditas nempe  
subtilitas, vis expandendi, illuminandi, calefacien-  
di &c. facile salvantur, si ipse ignis dicatur consi-  
stere in æthere, ejusque actio in motu.

7. Aer est corpus fluidum valde subtile, po-  
rosum, grave & multum elasticum, globum terræ  
undi-



undique ambiens, atque ad magnam satis altitudinem affurgens.

8. Aqua constat partibus admodum subtilibus, duris, sphaericis & lubricis, quæ non modo aliis corporibus se se insinuant, sed etiam calore in vapores violentissime se expandentes abeunt.

9. Aurora borealis probabilius tunc oritur, quando ingens fit ebullitio in atmosphæra nostra, ut etiam ad insignem altitudinem expandatur.

10. Generalia Electricitatis phænomena qualia sunt: attractio, repulsio, communicatio, lux, scintillæ, succussio &c. supposita certa corporum idio-electricorum, & symperi-electricorum constitutione per actionem materiæ igneæ exhalationes acido-sulphureas secum vehentis explicari utcunque possunt.

11. Figura telluris, etsi ad sensum rotunda, probabilius tamen sub æquatore est protuberans, & ad polos depressa.

12. Lapidés sunt corpora dura, firma, rigida, non ductilia, igne in calcem abeuntia, &c. principio mundi creata, & hodie adhuc ex aqua, aut succo partibus terrestribus, fixioribus, durioribus, ramentis arenosis, & faxeis referta, aut luto tenaci in terra genita.

13. Metalla sunt corpora firma, compacta, ponderosa, ductilia, & igne liquescentia, ab initio mundi cum venis suis, & matricibus creata, & hodie adhuc in venis ex materia salino-terrea, sulphurea & mercuriali agitante calore subterraneo concreta.



14. Plantæ sunt corpora organica seu machinæ hydraulico-Pneumaticæ vario partium organicarum inter se conjunctarum apparatu constantes terræ radicibus suis plerumque infixæ, atque succo vitali animatæ ab initio mundi creatæ, & hodie adhuc ex feminibus prodeuntes.

15. Corporis animalis partes aliæ sunt solidæ, ut fibræ, ossa, membranæ &c. aliæ fluidæ, ut sanguis, Limpha, serum &c. ad conservationem animalis destinatæ, actiones sunt nutritio & respiratio, & quæ illi imprimis famulantur, alimentorum convenientium assumptio, elaboratio, depuratio &c.

## EX ETHICA, ET JURE NATURÆ ASSERTIONES.

1. **E**thica recte dicitur disciplina, quæ dirigit actiones humanas ad honestatem moralem, quæ honestas sita est in convenientia actionis cum prima regula morum.

2. Actus ut sit proprie & formaliter moralis, atque adeo ad laudem vel vituperium, ad præmium vel poenam imputabilis, debet esse voluntarius & liber.

3. Rationem voluntatis tollit ignorantia antecedens & invincibilis, non vero ignorantia subsequens



quens, neque metus, neque concupiscentia, nec violentia, nisi relate ad actus externos.

4. Lex naturæ est ipsa voluntas DEI necessaria, præcipiens vel prohibens, hominum mentibus a DEO inscripta, & omnes ex æquo obligans.

5. Præcepta naturæ generalia, ac prima, aut etiam primis proxima ignorari nequeunt ignorantia invincibili, secus præcepta quædam remotiora.

6. Unde opus est aliquo cognoscendi principio; quod quidem principium non est convenientia quædam cum vita hominis sociali, sed

7. Principium proximum, ac immediatum est recta naturæ humanæ ad suum finem constitutio, ac felicitas: aut etiam amor DEO, sibi ipsi, & proximo naturaliter debitus; ultimum vero principium sunt ipsæ DEI perfectiones.

8. Jus naturæ recte dividitur in affirmativum & negativum; utrumque semper obligat, hoc tamen discrimine: quod negativum obligat pro semper, secus affirmativum.

9. Est etiam lex naturæ ita constans, ut nec a DEO, nec ab humana potestate proprie loquendo mutari unquam possit.

10. Officia jure naturæ debita triplici genere continentur; alia enim sunt, quæ DEum; alia, quæ nos ipsos; alia, quæ proximum respiciunt.

11. Præcipitur jure naturæ cultus DEI, non modo interior, sed etiam exterior.

12. Officia hominis erga se ad hæc potissimum capita revocantur: ut bona a DEO concessa omni cura conservet, iisque recte, & ex supremi Domini voluntate utatur.



13. Unde jure naturæ vetitum esse intelligitur, non modo se ipsum occidere, quacunque ex causa, sed etiam se mutilare, famam, facultates abjicere;

14. Quanquam permiffum est homini necessitatis, aut majoris boni causa, imo quandoque præceptum, vitam, ac cætera bona negligere, aut periculo exponere.

15. Quivis etiam naturali gaudet potestate, se, & res suas, excepto honore, etiam cum cæde injufti aggressoris defendendi.

16. Qua tamen in re adhibendus est modus, & necessitatis ratio ducenda.

17. Ad defensionem sui licitam referri non potest duellum, privatis ex causis, & prævio consensu fufceptum.

18. Officia aliis debita, generatim spectata, hæc fere sunt: neminem lædere, suum cuivis tribuere, ope nostra egentibus succurrere.

19. Hinc vetitum omne mendaciorum genus; quanquam æquivocatione, aut restrictione non pure mentali ex justa causa uti licet.

20. Jusjurandum, ut fit validum, ac licitum, requiritur, ut fiat ex animo, ut de re vera, possibili, ac honesta.

21. Ex juramento promissorio, etiam per metum gravem & injuste incussum extorto, naturaliter enascitur obligatio.

22. Occupatio, si naturalis rei apprehensio intercedat, est modus acquirendi dominium originarius.

23. Occupatione tamen earum duntaxat rerum dominium obtinetur, quæ in medio sunt positæ.



24. Per præscriptionem, seu usucapionem, spectato solo jure naturæ, non acquiritur dominium possessori rei alienæ.

25. Qui dominum in usu rerum suarum impedit, easve destruit, vi aut fraude avertit, ad restitutionem obligatur.

26. Bonæ fidei possessor non tenetur restituere nisi rem, & fructus formaliter, vel æquivalenter extantes.

27. Malæ fidei possessor non modo ad restituendos fructus extantes, sed etiam ad æstimationem consumptorum, & alienatorum præstandam tenetur.

28. Contractus, & pacta quædam jure naturæ valida, possunt irrita reddi ab humana potestate.

29. Usura, seu lucrum solius mutui titulo ultra sortem acceptum, jure naturæ prohibetur.

30. Officia imperfecta, nempe innoxie utilitatis, & beneficentiæ, aliis jure quidem minus stricto, ex naturali tamen æquitate debentur.

## EX MATHESI

### THEOREMATA & PROBLEMATA.

#### EX GEOMETRIA SVBTERRANEA

GERMANIS

Markscheide = Kunst.

1. Quid Geometria subterranea, & ad quæ præcipue capita revocari possit?

b 2

2.



2. In quot partes a finitoribus circulus dividatur, acum magneticam cingens?

3. Quo nomine eædem venire soleant?

4. Quid caverna perpendicularis, quid crypta, quid caverna ascendens & descendens?

5. Qualis mensura finitoribus usitata, & in quot qualesve eadem partes dividatur?

6. Quomodo additio, subtractio, multiplicatio, divisio quantitatum a finitoribus tractetur?

7. Quid compassus pensilis, Germanis *Henggruben*, oder *Berg-Compass* dictus? qua ratione

8. Constitui debeat, & quomodo quatuor mundi plagæ inscribendæ?

9. Quid libella, germanis *Wasser Waage*, *Grad-Bogen*? quis ejus usus?

10. Quid a finitoribus instrumentum lineationis, *das Zulege*, oder *Zeichen-instrument*, aut *der Zulege-Compass* dicatur? quomodo instrumentum hoc comparetur?

11. Goniodictam *den Winkl-Weiser* construere, usumque ejusdem indicare.

12. Quid compassus jacens *der Sitz Compass* dictus, an usus ejusdem a finitoribus commendetur? qualem aliam

13. Compassi jacentis formam finitores priori substituerint?

14. Quid circuli horarii *Stunden-Schenben*, & in quibus fodinis adhibeantur?

15. Ope libellæ inclinationem cryptæ determinare.

16. Longitudine Cryptæ & ejusdem angulo inclinationis inventis, ejusdem basim & altitudinem determinare.



terminare, & 1<sup>o</sup> quidem geometriæ, 2<sup>do</sup> trigonometriæ, 3<sup>tio</sup> ope tabularum finitoribus usitatarum. Harum

17. Tabularum pro diversis inclinationum gradibus & varia longitudine usum edocere.

18. Fodinas metiri, in quibus acus magnetica a ferri minera non turbatur.

19. Ferri fodinarum profunditatem, & quantum eædem pro diverso Cryptarum situ ad Septemtrionem accedant, aut ab eodem distent determinare, non obstante quod acus magneticæ nullus hic usus sit.

20. Ichnographiam fodinarum, in quibus compassus adhibitus fuit delineare.

21. Eandem de ferri fodinis perficere.

22. Invenire, quantum datus quidam montis vertex, aut quicunque locus a puteo distet, quam mentionem subdiallem ( Germanis *der Tagzug* ) appellamus.

23. Ejusdem mensuræ subdialis Ichnographiam facere.

24. Invenire altitudinem perpendicularem, qua locus aliquis infra terram constitutus, a terræ superficie, vel ab alio loco subterraneo distet.

25. Lineam horizontalem ducere, & primo quidem per æqualem terræ superficiem.

26. Quando ob montium præcipitia, vel propter alia obstacula recta linea procedere non est integrum,

27. invenire locum in superficie terræ, qui subterraneo perpendiculariter respondet.

28. Determinare lineam rectam, per quam ad Cryptas brevissima via accedi possit, seu a terræ su-



perficie ad specum penetrandum sit, quod Germani Durchschlag compellant, seu

20. Ex uno specu ad alium terra perfringenda sit, quod apud germanos Querschlag audit.

30. Venarum situm investigare, earundem

31. Directionem principalem invenire, &

32. Orthographiam (profilum) delineare.

## EX HYDROSTATICA THEOREMATA.

1. **I**N tubis communicantibus, eadem erit altitudo fluidi homogenei, idemque in utroque tubo pondus; si vero

2. Duo tubi communicantes fluido diversæ gravitatis specificæ repleantur fluida æquiponderabunt, si altitudines habuerint rationem gravitatum specificarum reciprocam.

3. In variis perpendicularibus æquales bases habentibus fundi premuntur a fluido homogeneo in ratione altitudinum.

4. Si vasa bases & altitudines habuerint inæquales, fundi prementur a fluido homogeneo in ratione composita basium & altitudinum.

5. Si vas unum inclinatum, alterum perpendicularare, habeant autem eandem altitudinem & basim, fundus utriusque a fluido homogeneo æqualiter premitur.

6. Si ejusdem vasis bases inæquales fuerint, fundi eodem modo prementur, ac si superior inferiori æqualis existeret.

Si



7. Si corpus specificè gravius in fluidum levius immergitur, tantum ponderis sui perdit, quantum est pondus fluidi, quod ab ipso expellitur.

8. Corpus specificè gravius in fluido specificè leviori ea vi descendit, quæ est æqualis excessui ponderis sui supra pondus fluidi ejusdem voluminis.

9. Corpus specificè levius in fluido graviore mergitur, donec aqua, quæ spatium a parte mersa occupatum implet, toti corpori æquiponderat.

10. Vis, quæ requiritur ad vas vacuum in aquam usque ad eam profunditatem immergendum, ad quam aqua plenum immergitur, æqualis est vi, quæ tantundem aquæ in aere sustentare possit.

11. Vis, quæ requiritur ad solidum specificè levius sub fluido graviore detinendum, item pondus a solido leviori amissum gravitati fluidi accrescit, & cum ea ponderat.

12. Gravitatio specifica solidi est ad gravitatem specificam fluidi, in quo mergitur, ut volumen partis immersæ ad volumen integrum.

## P R O B L E M A T A.

1. **I**Nvenire pondus fluidi cujuscunque e. g. Vini in dolio contenti.

2. Syphonem anatomicum construere.

3. Rationem gravitatis specificæ fluidorum invenire.

4. Dato pondere corporis ex duobus miscibilibus compositi, una cum pondere, quod in fluido aliquo amittit, invenire pondera miscibilium singillatim.

5. Mas-



5. Massarum v. g. auri, frumenti &c. bonitatem ope aquæ examinare, & adulteras a genuinis distinguere.

6. Datis solidi submersi gravitate, & volumine, determinare vim, qua super aquas attolli potest, 2do

7. Datis gravitate, e. g. pedis cubici aquæ & magnitudine partis immersæ solidi invenire pondus totius corporis, 3tio

8. Datis gravitate e. g. pedis cubici aquæ & gravitate solidi, invenire magnitudinem partis immergendæ. 4to.

9. Dato volumine, quo navis expleretur, invenire, quantum eadem citra submersionis periculum onerari queat.

10. Datis demum magnitudine & gravitate specificæ levioris, e. g. frusti ligni, una cum gravitate fluidi specificæ gravioris, e. g. pedis cubici aquæ invenire vim, qua corpus sub aqua demersum detineri potest.

11. Libellam hydrostaticam construere.

12. Machinam pro natando conficere.

## EX AEROMETRIA THEOREMATA.

1. **E** Later aëris inferioris æquatur ponderi totius superioris ipsi incumbentis.

2. In eodem vase, vel etiam in vasis communicantibus aër ubique eandem densitatem habet, si cætera sint paria.

3. In vase, quod ope Antliæ evacuatur, semper est aër primitivus ad aerem residuum, ut aggregatum ex capacitate vasis & Antliæ ad eam dignitatem elevatum



vatum, cuius exponens æquatur numero agitationum emboli, ad capacitatem vasis solius ad eandem dignitatem evectam.

4. Diversa plana ab aëre premuntur in ratione magnitudinum, et si

5. Plana sunt circuli aut quæcunque similia in ratione duplicata diametrorum, aut laterum homologorum. Demum

6. Si superficies cavæ sint aut convexæ, premuntur ut plana horizontalia ipsis subiecta.

7. Aer primitivus est ad aërem ope Antliæ pneumaticæ, dato agitationum emboli numero compressum, ut capacitas vasis ad aggregatum ex capacitate vasis & facto capacitatis Antliæ in numerum agitationum emboli.

8. Elater aëris compressi est ad elaterem dilatati, ut reciproce volumen dilatati ad volumen compressi.

9. In tubo Torricelliano major copia mercurii suspenditur in locis profundioribus quam in altioribus.

10. Si tubus inferne recurvus, superne vero hermetice clausus mercurio repleatur, erit mutata atmosphaera variatio altitudinis mercurii in tubo longiore subdupla variationis mercurii in tubo Torricelliano.

11. Si tubus Torricellianus inclinetur, erit cylindrus mercurialis atmosphaeræ æquiponderans, ad cylindrum mercurialem, eidem in situ tubi verticali æquiponderantem, ut longitudo tubi ad altitudinem.

12. Calor elaterem aëris intendit.

13. Si



13. Si aer redditur densior, pondus corporum in aere minuitur, si gravior, augetur.

## PROBLEMAT A.

1. **A**Ntliam pneumaticam construere.
2. Data basi columnæ aereæ invenire pondus.
3. Barometrum cum vasculo, vel etiam cum tubi inferiore parte recurva construere.
4. Baroscopium construere, quo mutationes atmosphære ope indicis in Circulo in gradus diviso ostendantur.
5. Ad dimetiendam densitatem aeris instrumentum construere Manometrum dictum.
6. Machinam construere pro excitando vento adversus plagam desideratam spirante, ope ejusdem machinæ ex cubilibus antiquum aerem exugere.
7. Thermometrum Florentinum construere.
8. Varii generis hygrometra parare.

## EXHYDRAULICA THEOREMAT A.

1. **S**I ex loco edito ad locum alium pariter editum aqua per canales derivanda, his secundus locus priore humilior sit est necesse.
2. Si duo tubi æquales altitudines, atque æqualia lumina habuerint, fuerintque ambo constanter pleni, æquali tempore æquales aquæ quantitates effundent, si vero

3. Duo-



3. Duorum tuborum altitudines æquales, sed lumina fuerint inæqualia, fuerintque tubi constanter pleni, quantitates aquarum effluentium eodem tempore sunt ut lumina. Si porro

4. Duorum tuborum lumina æqualia fuerint, sed altitudines inæquales, fuerintque constanter pleni, quantitas aquæ effluentis ex maiore est ad quantitatem aquæ effluentis ex minore eodem vel æquali tempore in ratione subduplicata altitudinum. Demum

5. Si duorum tuborum constanter plenorum tam altitudines quam lumina fuerint inæqualia, erunt quantitates aquarum eodem tempore effluentium in ratione composita ex simplici luminum, & subduplicata altitudinum.

6. Celeritas aquæ, qua per lumen tubi ad horizontem perpendicularis effluit, est ut radix quadrata ex altitudine vasis extracta.

7. Aqua seu per tubum ad horizontem perpendicularem, seu

8. Per tubum quomodocunque inflexum descendens, per lumen tubuli cum priore communicantis, & ejus directio verticalis est, profiliens, sere ad eam altitudinem ascendit, ad quam aqua in priore tubo subsistit.

9. Si lumen sit horizontale, longitudines, ad quas aquæ salientes pertingunt sunt in ratione subduplicata altitudinum a sua superficie desumptarum.

10. Fluvius per alveum inclinatum defluens illam in fine celeritatem acquirit, quæ est ut radix altitudinis quadrata.

11. Si fluvius fuerit in statu manente per omnes



sectiones, quomodocunque inæquales eadem aquæ quantitas eodem tempore fluet.

12. Si in canale inclinato aliqua sectionis pars obstruatur, ut aqua non nisi per partem residuam sectionis fluere possit imo aqua intumescet, 2do ad statum manentem reducta celerius fluet per sectionis partem non obstructam. 3tio initium canalís ulterioris promovebitur.

13. Idem fluidum eadem celeritate latum percutit plana, in quæ incurrit, iis viribus, quæ sunt in ratione planorum.

## PROBLEMA.

1. Fontem arte construere.
2. Aquam ex loco uno derivare in alium.
3. Syphones varii generis conficere ad liquorem e vase attollendum.
4. Piscinas & lacus sed editiore loco positos ope Syphonis evacuare.
5. Aquam supra colles intermedios, sed 31 pedis altitudinem non excedentes in oppositam planitiem deducere.
6. Aquam per Syphones interruptos ex profundo in altum attrahere.
7. Vas construere, quod si plenum fuerit, liquorem omnem effundit, si vero non fuerit plenum retinet, quod Diabetes nuncupatur.
8. Aquam imo vi aëris compressi, 2do
9. Vi aëris loco suo expulsi, 3tio
10. Vi aëris rarefacti extrudere, 4to



11. Construere antliam, qua per attractionem, & aliam

12. Qua per expulsionem aqua ex profundo loco in altum evehi potest.

13. Machinam parare, quæ aquam ad restinguenda incendia ad datam altitudinem & datum locum in altum ejiciat.

14. Opus arcuatum aquaticum, sub quo citra periculum madescendi ambulare liceat, perficere.

15. Aquam ope rosarii, tympano, vel rota similis instructa elevare.

16. Cochleam Archimedis parare.

17. Construere fontes salientes, qui variis modis aquam ejiciant.

18. Fontem intermittentem comparare.

19. Instrumentum librationis construere, & ope ejusdem altitudines montium, Domuum, & universim, quanto locus unus alio altior sit, explorare.

## EX OPTICA THEOREMATA.

1. **S**I lumen propagatur per radios divergentes in medio non resistente intensitas luminis decrescit in ratione duplicata distantiarum a puncto radiante reciproce.

2. Si altitudo plani illuminati ad instantiam puncti radiantis fuerit ut 1 ad 2000000, perinde est ac si radii inciderent in planum paralleli.

3. Quæ sub eodem angulo videntur, habent magnitudines distantis proportionales.



4. Si oculus intra paraleclas v.g. inter duas arborum aut luminum series in longum paraleclæ protensas collocetur, in plagam oppositam convergere videbuntur.

5. Quæ oculus uno obtutu comprehendit, intra ambitum anguli recti continentur.

6. Arcus ab oculo in eodem plano existente visus instar lineæ,

7. Sphæra vero e longinquo visa circulus apparet.

8. Objectum oblique conspectum minus apparet, quam si erectum spectetur.

9. Si planum amplius infra oculum collocatum sit, ejus partes remotiores vicinioribus altiores videbuntur, contrarium fiet si oculus infra planum extiterit.

10. Si visibile in horoptere collocatum sit, quolibet ejus punctum apparet in concursu radii per centrum oculi retroducti, & ipsius horopteris. Sin vero

11. Visibile extra horopterem collocetur, geminatum videbitur.

12. Sit oculus spectatoris immotus, duo objecta inæquali intervallo distantia æqualia spatia conficiant, apparebit objectum propinquius majori celeritate moveri, quam remotius. Si vero

13. Oculus una cum objectis in eandem Plagam celeritate dispari moveatur, & oculus celerius istis procedat, videbuntur illa modo stare, modo tarde procedere, modo retrogradi.

PRO-



# PROBLEMAT A.

1. **D**Atis semidiametris sphaeræ lucidæ & opacæ lucidæ minoris, data etiam distantia centrorum invenire longitudinem axis coni umbrosi.

2. Data altitudine Solis & Lunæ supra horizontem, data præterea altitudine turris aut arboris, umbræ projiciendæ longitudinem invenire.

3. Si vero longitudo umbræ & altitudo turris dentur, inveniri poterit altitudo solis supra horizontem.

4. Data sola altitudine solis aut lunæ supra horizontem, sed eadem 45. gradibus æquali turris altitudinem determinare.

5. Altitudinem cujuscunque objecti opaci imo mediante umbra in planum horizontale projecta, 2do

6. Mediante umbra partim in planum horizontale, partim in planum ad horizontem perpendiculari projecta metiri.

7. Si detur imo alicujus objecti ab oculo distantia, & magnitudo apparens, sive angulus, sub quo objectum videtur, inveniri poterit magnitudo objecti vera.

8. Si detur 2do distantia objecti, detur præterea dimidia magnitudo vera, inveniri poterit magnitudo dimidia apparens.

9. Si detur 3tio duorum objectorum magnitudo vera, detur distantia remotioris, detegi poterit ea minoris objecti ab oculo distantia, in qua majori æquale videatur.

10. Invenire punctum, in quo duæ magnitudines



nes inæquales, & in directum sitæ, oculo æquales appareant.

11. Duo puncta ejus conditionis invenire, ut si objectum ex viciniore spectetur, minus appareat, contra majus esse videatur, si ea remotiore conspiciatur.

## EX CATOPTRICA.

1. **I**Mago tanto intervallo post speculum planum apparet, quanto objectum a speculo remotum est.

2. Si speculum planum juxta objectum perpendiculare horizontaliter collocetur, objectum inversum apparebit. Si vero

3. Objectum luce uberiore præditum inter duo specula plana parallela, opposita collocetur, duæ series imaginum utrinque multiplicatarum exhibebuntur.

4. In speculo cavo sphærico radii paralleli intra arcum 60. graduum ab axe illapsi, & deinde reflexi cum axe unientur ita ut focus a speculo non magis distet, quam intervallo dimidio radio minore, seu minus quam quarta diametri parte.

5. Quo major autem fuerit arcus a radio incidente ab axe interceptus eo minus focus distabit a speculo, ita quidem, ut si

6. Arcus 60. gradus exæquet, radius incidens in ipsam speculi superficiem relabatur.

7. Si lumen constitutum sit imo in foco speculi sphærici cavi, radii post reflexionem sunt paralleli, 2do

8. Si



8. Si lumen intra focus & speculum ponatur post reflexionem radii divergent. 3tio.

9. Si inter focus & centrum statuatur, ultra centrum concurrent.

10. Demum omnes radii in se recident, si in centro speculi lucidum collocetur.

11. Objecti inter speculum cavum & focus ejusdem positi imago imo post speculum, 2do erecta, 3tio prodigiosæ magnitudinis apparet.

12. Si vero inter focus & centrum objectum constituatur, imago ejus imo situ inverso, 2do ultra centrum in libero aëre, oculo etiam ultra centrum remoto fititur. Si demum

13. Ultra centrum speculi objectum ponatur, oculo itidem ultra centrum remoto imago apparebit in libero aëre inter centrum & focus sibi inverso.

14. In speculis sphæricis convexis objecta apparent imo erecta, 2do minora, 3tio inter speculum & centrum ejusdem.

15. Omnes radii cum axe paralleli in speculum parabolicum incidentes in foco parabolæ uniuntur, atque ideo specula parabolica urunt, secuto omnino insigni effectū.

16. Radius ex uno foco in speculum ellipticum incidens in focus alterum reflectitur.

## PROBLEMAT A.

1. **O**pe speculi plani altitudinem accessibilem metiri.

2. Specula ex vitro conficere.

3. Spe-



3. Specula metallica fundere & polire.
4. Machinam Catoptricam pro multiplicandis & deformandis objectis construere.
5. Cistulam Catoptricam comparare imo ut objecta in alia, quam re ipsa sita sunt, regione appareant, 2do
6. Ut mire multiplicata & per vasta spatia diffusa videantur, 3tio
7. Ut multo maxima eorundem imago exhibeatur.

## E X D I O P T R I C A.

1. **S**I radius lucis oblique in vitrum incidat, post binam refractionem sibi incidenti parallelus efficitur, objectaque
2. Altiore quam re ipsa sunt loco sistit, magnitudinem tamen & figuram non mutat.
3. Si radius axi parallelus incidat in lentem convexo planam post refractionem simplicem unietur cum axe ita, ut distantia voci a vitro paulo minor sit diametro.
4. Si vero radius incidat in lentem vitream utrinque confexam, & quidem axi parallelus, post duplicem refractionem unietur cum axe ita, ut distantia foci fere par evadat semidiametro convexitatis.
5. Sphæra vitrea unit radios parallelos cum axe distantia foci quartam fere diametri partem æquante.
6. Si lentes sint aut plano cavæ, aut utrinque cavæ, radios parallelos non uniunt, sed utrinque diffundunt, neque imaginem pingunt.

7. In



7. In meniscis tamen semidiametro convexitatis multo minore, quam sit diameter concavitatis, radii paralleli licet longiore a lente distantia unientur.

8. Lentes convexæ radiis, quos excipiunt, in versas intervallo foci imagines post se depingunt. Et

9. Si objecta in foco lentis convexæ ponantur, oculo prope lentem posito majora videbuntur.

10. In lentibus convexis semidiameter objecti est ad diametrum imaginis, in ratione directa distantiarum a lente; unde lentes quo majorum sphaerarum sunt portiones, eo majoris diametri pingunt imagines.

11. Si lens fuerit cava, per eam quælibet objecta remota ea sint, aut proxima, imo erecta, 2do minora apparebunt. 3tio

12. Per vitrum Polyedrum tot apparent ejusdem rei imagines, quot vitrum habet hedras, sive planas superficies.

13. Objectum humiliore loco positum ipso oculo per prisma trigonum vitreum altiore loco collocatum videbitur, contra

14. Humiliore loco conspicietur, si ipso oculo altius collocatum fuerit.

## PROBLEMAT A.

1. **M**ethodo Kepleriana invenire angulum refractionis radii ex rariore in densius medium transeuntis.

2. Cameram obscuram portatilem.

3. Laternam magicam.

4. Vitrum polyedrum & prisma.



5. Machinam causticam compositam perficere.
6. Telescopium belgicum,
7. Astronomicum ordinarium, item Hugenia-  
num remotis fistulis.
8. Terrestre, & tubos binoculos comparare.
9. Tubum Catoptrico-Dioptricum & imo qui-  
dem Polemoscopium Hevelii, 2do
10. Tubum Gregorii & Newtoni componere.
11. Tubum astronomicum solaribus maculis rite  
contemplandis accommodare.
12. Micrometrum, quod duabus cochleis con-  
stat, telescopio applicare, ejusdemque usum in licare.
13. Legem definire, secundum quam microscopia  
simplicia amplificant diametrum objecti.
14. Microscopia simplicia diverso modo con-  
struere, & pro observationibus aptare.
15. Microscopium reflectens Isaci Newtoni com-  
ponere.

## EX ASTRONOMIA.

1. **A**ltitudo æquatoris una cum altitudine poli  
efficit 90. gradus.
2. Differentiam inter ejusdem sideris veram &  
apparentem distantiam a vertice æqualis est angulo  
ex intersectione duarum linearum orto, quarum una  
ex centro terræ, altera ex superficie per stellæ cen-  
trum ducitur, hæc differentia parallaxis, angulus  
vero angulus parallacticus audit.
3. Parallaxis variat, imo enim horizontalis ma-  
xima est, 2do. quo sidus vertici propius, aut a ter-  
ræ centro remotius est, tanto magis eadem immi-  
nuitur.
4. Si



3. Si duarum stellarum distantiae a terra differant, & utriusque distantia apparens a verticæ æqualis sit, erunt sinus parallaxium reciproce, ut distantiae a centro terræ.

5. Refractio fiderum ad horizontem positorum omnium maxima est, 2do versus Zenith continuo decrefeit, 3tio locum fideris attollit.

6. Diametri solis apparentes servant reciprocam rationem distantiarum solis a terra.

7. Si ad axem Ellipsis per locum terræ vel planetæ perpendiculum ad excentricum usque circulum continuatum ducatur, & præterea ex puncto orbitæ, quod perpendiculum continuatum attingit, punctoque Ellipseos, quod idem perpendiculum secat ad solem & centrum orbitæ lineæ ducantur, fiet: ut pars Ellipsis ad totam vel dimidiam Ellipsim similem rationem servet, quam pars excentrici ad totum vel dimidium excentricum.

## PROBLEMAT A.

1. **L**ineam meridianam ducere.
2. **L** Altitudinem stellæ supra horizontem:
3. Altitudinem poli invenire.
4. Determinare quantum sol aut stella aliqua ab æquatore, seu Boream, seu Austrum versus declinet.
5. Gnomonem constituere, ope ejusdem
6. Declinationem solis maximam determinare.
7. Methodum exponere, qua distantia lunæ a terra, deinde
8. Qua distantia solis a terra investigetur, demum
9. Quomodo data parallaxi altitudinis cujus-



cunque planetæ ejusdem a centro terræ distantia inveniat.

10. Solis & lunæ diametrum apparentem metiri, &

11. Cognitis distantia & semidiametro apparente veram eorundem magnitudinem invenire.

12. In hypothefi terræ motæ in Ellipfi excentricitate orbitæ telluris invenire.

13. Datis semidiametris umbræ & lunæ, una cum lunæ latitudine sub initium & finem eclipsis, typum eclipsis lunæ describere.

14. Datis deinde semidiametris solis & lunæ apparentibus, cum latitudine lunæ visa sub initium, in medio, & sub finem typum eclipsis solaris delineare.

15. Lunæ & solis eclipsim observare.

## EX ANALYSI.

1. **Q**uid Arithmetica speciosa, quomodo primæ quatuor ejusdem species, fractiones, regula aurea tractanda?

2. Quare in subtractione signa mutanda? &

3. Cur in multiplicatione & divisione diversa signa efficiant —, eadem signa efficiant +.

4. Dignitatem unam per aliam ejusdem nominis multiplicare, dividere, & dignitatem quantitatis ad aliam dignitatem evehere.

5. Invenire numerum ejus conditionis, cujus pars dimidia cum tertia & quarta parte hunc ipsum numerum unitate superat.

6. Dentur milliaria, quæ viator aliquis intra diem



diem conficit, præterea constant dies, qui effluxerunt a tempore incepti itineris? quaeritur intra quot dies viator quidam alius priorem assequatur, posito quod quotidie certum milliarium numerum conficiat? si vero 2do

7. Detur iter diurnum alicujus viatoris, una cum tempore, quod ab initio itineris elapsum est inveniri, poterit iter diurnum ab altero viatore conficiendum, ut in dato tempore priorem assequatur. Si 3tio

8. Detur intervallum duorum locorum, ex quibus eodem tempore duo viatores egrediuntur, una cum itinere diurno utriusque, inveniri poterit tempus, quo sibi mutuo occurrent.

9. Dato precio unius mensurae vini, invenire, quantum aquae admisceri debeat, ut una mensura dato alio pretio minore divendi queat.

10. Si vero datur pretium vini præstantioris, & pretium vilioris, determinari poterit quantitas vilioris præstantiori commiscendi, ut dato aliquo pretio medio divendi queat.

11. Naturam circuli invenire, quæ in eo consistit, ut quadratum semiordinatae sit æquale rectangulo ex axe in abscissam, dempto quadrato ejusdem abscissae.

12. Natura Parabolæ ea est, ut quadratum semiordinatae æquale sit rectangulo ex abscissa in Parametrum. Unde consequitur imo

13. Parametrum æqualem esse quadrato semiordinatae diviso per abscissam. 2do

14. Semiordinatam æqualem esse radici quadratae ex facto Parametri in abscissam. 3tio



15. Abscissam æqualem esse quadrato semiordinatæ diviso per Parametrum.

16. Quadrata semiordinatarum inter se esse, ut earum abscissas.

17. Parabolam delineare, in qua

18. Distantia foci a vertice æqualis est quartæ Parametri parti.

19. Si ex foco Parabolæ ad quodvis ejusdem punctum linea recta ducatur, atque ex hoc puncto semiordinata ad axem demittatur, erit recta ducta æqualis abscissæ, simul & quartæ Parametri parti.

20. Tangentem ad datæ Parabolæ punctum ducere.

21. Dato speculo parabolico focum invenire.

22. Si ad quodvis Parabolæ punctum radius axi parallelus incidat, reflectetur in focum.

23. Ellipsis natura in eo consistit; ut quadratum semiordinatæ æquale sit rectangulo ex Parametro in abscissam, dempto alio rectangulo, quod fit ex abscissa in quartam proportionalem ad diametrum, Parametrum, & abscissam.

24. Area Ellipsis est ad aream circuli (cujus diameter est axis major Ellipseos) ut minor dimidius axis ad dimidium majorem.





tara



Haáz Rezső Múzeum  
Tudományos Könyv  
Székelyudvarhely



